Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Liber III. De Diebus Et Temporibus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

Visual Library

MOSES ET AARON.

LIBER III.

DE

DIEBUS ET TEMPORIBUS.

CAP. I.

De diebus, horis, septimanis, annis.

I. PRiusquam de Judæorum *festis* agamus, opus erit præfatione aliquâ de distributione *dierum*, *horarum*, *septimanarum* &c.

II. Ipsorum *dies* duplex fuit: *Naturalis*, constans *die* & *nocte*, sive XXIV. horis; & *Artificialis*, quem Sol oriens orditur, occidens finit. Hinc natum illud Joh. XI. 9. Ὀυχὶ δώδεκά εἰσιν ὧραι τῆς ἡμέρας· *Nonne sunt duodecim horæ diei?*

III.

III. *Naturalis dies* rursùs duplex erat: *Civilis* & ἐργάσιμος *profestus*, qui datus est *operibus civilibus*, quique ab ortu Solis cœpit, & ad sequentem Solis ortum desîit; *Matth.* XXVIII. 1. sive *Sacer* ἄπεφκτος *festus*, consecratus *sanctis exercitiis*; hic cum occumbente (1) Sole natus & cum occumbente Sole terminatus est.

IV. *Nox*

(1) Ob celebrem *Mosis* famam multæ gentes Orientis suos dies ab occasu Solis exorsæ sunt: ex iis sunt *Græci Athenienses*, à quibus forsan *Galli*: de quibus *Jul. Cæs. de B. G. l. 6. Galli se omnes à Dite Patre prognatos prædicant; idque Druidibus proditum dicunt: ob eam causam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium finiunt, & dies natales, & mensium & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.* Istæ gentes nullam habuêre rationem, (*Gallorum* illa ratio à Dite ficulnea est, & sine dubio ficta, qui aliam rationem addere nequibant, cùm fortassis cœcè essent imitati *Græcos*, *Græci Hebræos*) nec quoque *Hebræi*, cur *diem nocti* postponerent, nisi accessisset Dei mandatum sic incipiendi *festa*: siquidem *dies* naturaliter præcedit, quia nunquam *nox* capi potest esse, sine conceptu *lucis* vel *diei*. Quid quòd omnium Rerum principium Deus, mera Lux atque, ut ita dicam, Dies sit, nihilque nisi lucem & lucidum creârit? quòd verò nox & tenebræ orbem incesserint, aliunde, nempe à peccato arcessendum est. Ritus ergo fuit, spectans ad σκιάς *umbras* V. T. continuitque aliquod mysterium; scilicet quòd, quemadmodum *lux* præcessit in creatione, subsecuta *nox*, & rursùs *dies* seu *lux*, idem evenerit, postquam Deus fundâsset suam Ecclesiam: Ante *noctem* erat *lux*, h. e. status & œconomia Patriarcharum, qui in *luce*, h. e. sine luctu, sine umbris, sine δικαιώμασι σαρκικοῖς resp. Israëlitarum fuêre. Insecuta *nox*, h. e. jugum, quo pressi Israëlitæ velut servi timebant, tristabantur, Solem justitiæ exerto capite præstolantes;

IV. *Nox* ipsorum in quatuor partes seu majores *horas* distributa erat, quæ dicebantur *nocturnæ vigiliæ*; & quarum quævis tres minores *horas* habebat. Primam partem seu *vigiliam* appellabant רֹאשׁ אַשְׁמֹרוֹת *caput vigiliarum Thren.* II. 19. Secundam אַשְׁמֹרֶת תִּיכוֹנָה *vigiliam mediam Jud.* VII. 19. vocabant; non ideo, quòd esset media inter tres *noctis vigilias*, uti *Drusius Jud.* VII. 19. nobis persuadere vult, sed quòd ea flueret usque ad *adultam* seu *mediam noctem*. *Tertia vigilia nocte mediâ* initium, & *horâ tertiâ matutinâ* finem sumpsit. *Si venerit* ἐν τῇ δευτέρᾳ καὶ ἐν τῇ τρίτῃ φυλακῇ *secundâ aut tertiâ vigiliâ Luc.* XII. 38. *Postrema* dicta *Exod.* XIV. 24. אַשְׁמֹרֶת בֹּקֶר *vigilia matutina*, oriebatur *horâ tertiâ*, desinens *sextâ mutinâ. Quartâ noctis vigiliâ abiit Jesus ambulans super mari. Matth.* XIV. 25. Hæ *vigiliæ* & aliis nominibus veniunt, quæ respondent iis *noctis* partibus, quas quævis *vigiliarum* describit. (2) *Prima* vocatur

lantes; item *nox* illa erant umbræ, typi, sacramenta, quibus Christus & res clariores tantùm adumbratæ erant. Hanc *lucem* excepit *dies*, h. e. tempus N. T. quo nulla magis tristitia, servilis timor, nullæ umbræ, typi, sed ipsum corpus, imò illuminatio potior, oculi aquilini, detectum caput, ablatum velum. *Rom.* XIII. 12. 13. *Esa.* LX. 30. *Apoc.* XXI. 25. Potest & hoc intelligi: primò fuit *lux*, h. e. homo in naturali luce creatus, ejus lapsum subsecuta *nox*, cœcitas, πώρωσις, quibus tenebris suffusa gentium corda occalluerunt: has tenebras pellit serena Evangelii lux, & obtenebratas illustrat animas, facitque diem rursùs. 2. *Cor.* IV. 6.

(2) Ponere IV. *vigilias*, videtur debellare tritum illud Hebræ-

tur ὀψὲ serò. *Secunda* μεσονύκτιον *media nox. Tertia* ἀλεκτροφωνία *gallicinium. Quarta* πρωΐ *manè. Nescitis, quando herus venturus sit,* ὀψὲ *vesperi* (serò,) ἢ μεσονυκτίου aut *mediâ nocte,* ἢ ἀλεκτροφωνίας *aut gallicinio,* ἢ πρωΐ, *aut diluculo. Marc.* XIII. 35.

V. *Dies* itidem divisus erat in quatuor (†*) partes, uti patet ex parabola de operariis in vineam μεμισθωμένοις *pretio conductis Matth.* XX. *Primus quadrans* cœpit *horâ sextâ matutinâ*, desiit *horâ nonâ*; *Secundus quadrans* perrexit *ad horam duodecimam*; *Tertius quadrans* ad *horam tertiam pomeridianam*; *Quartus quadrans sextâ vespertinâ* clausus est. *Quadrans primus* dicitur *tertia hora vers.* 3. *Secundus quadrans*

Hebræorum אַשְׁמוֹרֶת שְׁלִישִׁיתָהּ שֶׁל לַיְלָה *Vigilia est tertia pars noctis.* Sed hoc εὐαγγελικὸν discutit Autor noster, quando paulò post ait, *vigiliam quartam* dictam esse matutinam, cui responderit πρωΐ *manè.* Sic ergo Judæi quartam *vigiliam* non tam *nocti* quàm *diluculo* annumerant. Vir quidam eruditissimus putat, Judæos tres primò habuisse *vigilias*, quarum prima ab occasu Solis ad μεσονύκτιον processerit, cujus mentio fiat *Job.* IV. 13. Postmodum autem ipsos, à Romanis Provinciales factos, morem Romanorum, *noctem* quatuor *vigiliis* dimetientium, introduxisse. *Lips. de milit. Rom. p.* 123.

(†*) Has noctis dieique partes, quibus Salvator vel apparere, vel mercedem distribuere dicitur, &c. sensu mystico, verissimè etiam ætatis nostræ & Mundi partibus applicueris. Quid quòd etiam divina insomnia sæpè infundat Angelus Domini, Dominusque appareat dormientibus vel vigilantibus circa vigiliam quartam, seu πρωΐ veluti ὁ ἀστὴρ ὁ ὀρθρινός. *Marc.* VI. 48. & XVI. 2-9. Mediâ verò nocte spectra & Lemures territent, ad diluculum disparentes?

Landesbibliothek Oldenburg

quadrans hora sexta vers. 5. Tertius hora nona vers. 5. Quartus hora undecima vers. 6. ubi nota, quòd tres priores *quadrantes* suum nomen ducant ab illa *diurna hora*, quæ *quadrantem* quemvis clausit. Nam *horas* computare solebant, initio à minoribus *horis*, scil. *sextâ matutinâ*, facto. Sic ut nostris *horis*, 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 1. 2. 3. 4. 5. 6. responderent ipsorum *horæ*, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Verùm *ultima hora* l. c. à Salvatore nostro vocatur *undecima*, cùm ratione cæterarum *horarum* & vulgi vocari debuerit *hora duodecima*; quo docemur, quòd Deus, etsi merâ gratiâ operarios *undecim diei horis* in vineam suam conducat, vix tamen quemquam duodecimâ vocet; quum ea sit potiùs *hora* servos laboribus solvendi, quàm novos admittendi. (3)

VI. Qui-

(3) Verissimum hoc est, quod hîc Autor ex *Matth.* XX. efficit, quia ἔσχατοι tantùm *unam horam* laborârant vs. 12. facta enim erat ὀψία *vespera* vs. 8. quâ plures conduci non poterant, sed quâ conducti mercedem referebant. At aliud adhuc subest mysterium, nempe Christus hîc loquitur de ἐσχάτοις καὶ πρώτοις *ultimis & primis*. Illi sunt *Gentes*, quibus salus revelata est ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ *ultimo tempore* 1. *Petr.* 1. 5. Hi sunt *Judæi*, qui murmurârunt contra *Gentes*, naresque rugârunt, imò planè sibi subjectum iri putârunt, ubi *Messias* advenerit; quia tam diutinos diurnosque soles tulerint, gravi jugo onusti, totque expilationes, afflictiones, exilia sustinuerint. Hic *Judæorum* γογγυσμὸς sive *murmur* exstitit, cùm *Christiani* ab undecima ad duodecimam, h. e. brevi tempestate, *Gentilium* persecutionum procellam evasissent. Tum enim *Christiani* sub *Constantino Chloro* pinguedinem terræ sugere & altâ pace stertere cæperunt;

VI. Quidam Interpretum, inter quos *Toletus in Job.* XIX. *annotat.* 8. deprehendentes vſ. 1. hujus parabolæ τὸ πρωΐ *mane*, computant quatuor *diei quadrantes* ita: *Hora prima*, *hora tertia*, *hora ſexta*, *hora nona*: quaſi *primus ternarius* à *prima* uſque ad *tertiam* iverit, & dictus fuerit *hora prima*; *ſecundus* à *tertia* uſque ad *ſextam*, & dictus *hora tertia*; *tertius* à *ſexta* uſque ad *nonam*, & dictus *ſexta*; *quartus* à *nona* uſque ad *ultimam*, quæ erat *duodecima*, & dictus ſit *nona*. Sic *Toletus* refellit receptam licèt à multis recenſionem, (ut ipſe ait) quoniam de *undecima*, cujus meminit parabola, altum apud hos ſilentium. Jure quidem vapulant à te, *Tolete*, qui excludunt *undecimam*; conſtanter tamen aſſerenda eſt contra te quadripartita *diei* diviſio. Illorum Interpretum error in hoc potiſſimùm conſiſtit. 1. Quòd *horam primam* faciunt, non inveniunt; & horam undecimam inveniunt, excludunt tamen; cùm nihil à mente Euangeliſtarum magis alienum ſit, quàm τὴν πρωΐαν (*tempus matutinum*) verti *horam primam diei*, quæ vox in illorum Scriptis ſonat *quartam noctis vigiliam*. 2. Quòd *ultimum quadrantem diei* conſtituant *horam nonam*: quid enim tùm *undecima hora*, cujus mentionem facit eadem parabola?

VII.

perunt; *Judæi* autem, hanc *Chriſtianorum* libertatem obliquis oculis intuentes, frontem caperare, & multos contra eos motus ciere viſi ſunt, præſertim ſub *Juliano Apoſtata*; *Vid.* 1. *Theſſ.* II. 15. 16. & ſic fieri ἔσχατοι *ultimi*, etſi fuiſſent πρῶτοι *primi*. Præterea verò & tunc fiunt ex piis primis ultimi, quando curſu & luctâ laſſi, ab inſequentibus eodem tramite ſuperantur.

Landesbibliothek Oldenburg

VII. Hâc (*) quadripartitâ *diei* divisione in *quadrantes* seu *horas majores* conciliantur Euangelistæ circa Passiones Salvatoris nostri. Ἐσταύρωσαν αὐτόν *cruciârunt eum horâ tertiâ*: *Marc.* XV. 25. *Johannes* XIX. 14. prodit ipsum coram Pilato exploratum, cùm esset ὥρα ὡσεὶ ἕκτη *hora quasi tertia*. Priori loco per *crucifixionem* non intellige *suffixionem* ad lignum, quæ non fuit ante *horam sextam*, *Luc.* XXIII. 44. nec ejus ἐκπνευσιν *exspirationem*, quæ non facta ante *horam nonam*, *Marc.* XV. 34. sed examen Pilati, quo tempore populus ingeminavit Σταύρωσον, σταύρωσον *Crucifige*, *Crucifige*: Sic *tertia* & *sexta horæ* facillimè consonabunt; nam, his *duabus horis* immediatè se comitantibus, id, quod *horâ tertiâ* factum est, *horæ sextæ* convenienter adscribi potest. (4)

O VIII.

(*) Ut hanc divisionem diei quadripartitam melius concipiamus, scire oportet, horas majores à Iudæis cum oriente Sole cœptas, ita nimirum, ut, ubi sol iam fulsisset tres horas minores, dicta sit hora *tertia*, ubi verò sex horas, dicta sit *sexta* &c.

(4) Multi variis modis hunc nodum, quem duo ill Euangelistæ nectere videntur, solvere laborârunt, sed alii aliis feliciùs. Miror autem, quòd hæc conciliatio Autori videatur satis facere, cùm gratis sumat *Marc.* XV. 25. σταύρωσιν *crucifixionem* pro *examine* coram Pilato, quamvis vs. 24. jam præcedat *crucifixio* propriè dicta. Optimam resolutionem hujus loci ipse Autor noster præbet hoc capite, paulò antè; ubi ait: *Primus quadrans cœpit horâ sextâ matutinâ, desiit horâ nonâ*; subjungitque statim; *Quadrans primus* (scil. qui cœpit *horâ sextâ minore*) *dicitur tertia*

VIII. Tandem videmus, *horas* inter Judæos fuisse duûm generum: alias *minores*, quarum *duodecim* fecêre *diem*; alias *majores*, quarum *quatuor diem* descripsêre; uti superiùs probatum ivimus. *Minores* dicuntur ὥραι τῆς ἡμέρας *horæ diei*. *Nonne duodecim diei horæ sunt?* *Joh.* XI. 9. *Majores* sæpenumerò vocantur *horæ Templi*, sive *horæ precationis*. *Petrus & Johannes adscendebant unà in Templum,* ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην *sub horam precationis*, nempe *nonam*. *Act.* III. 1. Verùm *tres* tantùm sunt *precationis* (5) *horæ*, *Tertia*, *Sexta*, & *Nona*.

tertia hora scil. *major*. Jam quid aptius enodando isti ἐναποφανεῖ? Johannes ergo, qui loquitur de Christi examine *crucifixionem* præcedente, indigitat *horam sextam minorem*, quæ Romanorum & nostræ *sextæ matutinæ* respondebat; Marcus verò putat *horam tertiam majorem*, quæ complexa erat tres *horas minores*, 7. 8. 9. Sic ut Christus examinatus sit circa *sextam*, in crucem autem sublatus non *horâ* sequenti *septimâ*; oportet enim intercessisse aliquod spatium inter *examen & crucifixionem*; sed vel *horâ octava* vel *nonâ*. Aliter solvit Cl. *Cocc. Comm. Joh.* XIX. 14. Alias quoque enodationes adducit *Gerh. Joh. Vossius Harm. Euang. l. 2. c. 7. §. 5.* & ex eo *Momma Tom. 2. c. 6. §. 70.* Sic itaque Christus *horâ tertiâ* crucifixus jugis matutini sacrificii, *horâ nona* ἐκπνεύσας *exspirans* serotini veritatem exhibuit. *Exod.* XXIX. 38. 39.

(5) Hæ *horæ precationis tres* erant: Postquam cum Templo sacrificia cessarent, *horis*, queis sacrificium juge oblatum est, substituerunt viri Synagogæ magnæ *horas precationis*, quas adhuc Judæi observant. *Prima* vocata est תְּפִלַּת הַשַּׁחַר *Oratio matutina*, quæ incepit ab *hora* Judæorum *prima*, & abiit ad *quartam* exclusivè, h. e. à nostra

Nona. Drusius in præterit. Act. III. 1. ait: *Non fuisse ultra tres horas precationis in die apud Judæos, clarè testatur David Kimchi: Tertiamque* consecratam ab Abrahamo; *Sextam* ab Isaco; *Nonam à Jacobo. Horâ tertiâ* descendit Spiritus S. super Apostolos. *Act.* III. 5. *Circa horam sextam adscendit Petrus* ἐπὶ τὸ δῶμα προσεύξασθαι *in solarium ad precandum. Act.* X. 9. *Horâ nonâ ascendebant Petrus & Johannes in Templum. Act.* III. 1.

IX. Ab his *horis majoribus diurnis & nocturnis* derivatæ sunt *horæ Canonicæ*, quas observat cœtus Romanus. Quævis *Canonicarum* continet *tres minores horas*, sic ut totum *diei noctisque* tempus *octo Canonicæ*

nostra *sexta* ad *decimam*; intra quod tempus Sacrificium juge matutinum oblatum est. Non quòd preces vel Sacrificium juge *tres horas* integras durârint, sed quòd intra id tempus perfici debuerint. *Secunda* dicta est תְּפִלַּת צָהֳרַיִם *Oratio meridiana*, item מִנְחָה גְּדוֹלָה *Oblatio magna*, h. e. initium temporis, quo paratur Sacrificium juge vespertinum. Hæc *hora* fuit nostra *duodecima*, vel paulò pòst, quod tempus dicitur esse בֵּין הָעַרְבַּיִם *inter duas vesperas. Tertia* dicitur ab Hebræis תְּפִלַּת הָעֶרֶב *Oratio vespertina*, item מִנְחַת הָעֶרֶב *Oblatio vespertina*, seu tempus Sacrificii jugis vespertini. *Esr.* IX. 5. Hæc *hora* coincidit cum *hora* nostra *tertia pomeridiana* vel paulò pòst. Respectu *minchæ magnæ*, quæ totum *tempus pomeridianum* à *duodecima* nostra ad *sextam* complexa est, dicitur quoque hæc *hora* מִנְחָה קְטַנָּה *mincha parva*. Hâc horâ Sacrificium juge vespertinum oblatum est.

Landesbibliothek Oldenburg

horæ definiant. (†) *Horâ sextâ vesperi prima* inchoat, quæ propterea *vespertina hora*, seu simpliciter *vespertinum*, dicitur. *Horâ nonâ nocturnâ* incipit *secunda*, vocaturque *completorium*. *Nocte mediâ* oritur *tertia*, quam appellant *nocturnum*. *Horâ tertiâ matutinâ* suam *quartam* seu *matutinum* habent. *Horæ Canonicæ diurnæ* dicuntur, *Hora prima*, *tertia*, *sexta*, *nona*. Ipsorum *hora prima* à *sexta matutina* usque ad *nonam* procedit; *Tertia* à *nona* ad *duodecimam*; *Sexta* à *duodecima* ad *tertiam*; *Nona* à *tertia* ad *sextam vespertinam*. *Vide Bellarm. de bonis oper. in particul. lib.* I. c. 10.

X. *Horologia Solaria*, σκιαθηρικά, usitata Antiquis Judæis, differunt à nostris; nam illa scalarum & graduum species erant. Tempus *diurnum* non lineis fuit, sed gradibus distinctum. Umbra Solis quâvis *semi-horâ* prorepsit ad novum gradum. In *Solario* Achazi Sol retrocessit מַעֲלוֹת *gradibus non lineis*. *Es.* XXXVIII. 8.

XI. *Duplices* quoque ipsorum *septimanæ* fuerunt, altera *ordinaria*, terminata *septem diebus*, altera *extraordinaria* & *prophetica*, constans *septem annis*.

(†) Pontificii Judæorum vestigia ubivis secuti, hominibus Judaicâ mente imbutis, h. e. elementa Mundi sectantibus, & tempora, loca, res atque personas distinguentibus, Judaicas ceremonias facilè persuasêre. Christianus verus sublatâ istâ distinctione omni horâ & ubivis locorum precatur, atque sic æquè sanctus est omni tempore, die Lunæ ac die solis. At utinam illi, qui sunt gentiles & Judæi in nobis horas certas precibus magis darent, & ut darent docerentur.

Landesbibliothek Oldenburg

annis. Dan. IX. 24. Prior dicitur *hebdomas diaria*, posterior *hebdomas annalis.*

XII. Hebræi antiqui suos metiebantur *menses*, cursui Solis respondentes, unde & *Menses solares* dicuntur, quovis *mense* triginta *dies* insumente. *Aquæ invaluerunt, cataractis cœli se aperientibus, decimo die mensis secundi usque ad decimum septimum diem mensis septimi:* Gen. VII. 11. VIII. 4. h. e. quinque totis *mensibus.* Si numeramus *dies*, erunt centum quinquaginta Gen. VII. 24. Ex quo patet, quòd quisque *mensium* constiterit triginta completis *diebus.* Post egressum ex Ægypto, Israëlitæ cursu Lunæ suos dimetiebantur *menses*, dictos *Menses Lunares*; quivis eorum absolvebatur aut triginta *diebus*, dicebaturque *mensis plenus*, aut *diebus* viginti novem, & vocabatur *mensis cavus.* Sol cursu suo superat Lunam undecim *diebus*, propterea cuivis *anno secundo* vel *tertio unus mensis* intercalabatur. (6) *Vid. Kalend. Hebraïc. Munsteri p.* 62. Jam, quòd *mensis duodecimus* in ἐφημερίδι seu

(6) Hebræi varias intercalationis causas habuêre. Si extranei, sedibus suis egressi, nondum ad urbem pervenerant; vel si pontes & itinera, præteritâ brumæ sævitiâ dissuta, nondum erant reparata. Tria præprimis fuerunt, ob quæ intercalatus est *annus*, ob spicæ virorem, scil. si fruges nondum fuerunt maturæ circa *Pascha*; deinde ob fructus arborum, quorum primitiæ in festo *Pentecostes* adduci debebant, si nondum maturitate flavescebant: denique ob Æquinoctium Autumnale, circa quod festum *Tabernaculorum* agi debuit. *Exod.* XXXIV. 22. Sed notandum hîc, quòd non necesse fuerit, omnes fructus frugesque maturas fuisse, nî *mensis* intercalari debuerit;

Calendario Hebraïco dicitur *Adar*, hinc, si *mensis intercalaris* fiebat, *ultimus mensis* vocatus est וְאָדָר *Veadar*, *Secundus Adar*.

XIII. Ante captivitatem Babylonicam suos *menses* recensebant sine ullo quàm solius numeri nomine, *Primus*, *Secundus*, *Tertius mensis* &c. (7) Post reditum ex Babylone eos his nominibus inve-

rit; nam non factus est ἐμβόλιμος *intercalaris*, si quædam saltem præcoces fruges & fructus adduci poterant. De *intercalatione* plura habes apud Cel. *Coccejum Sanh. cap.* I. *not.* 9. Item apud *Lightfotum Hor. Hebr. in Matth. c.* II. *vers.* 1. *& cap.* XXI. *vers.* 19. *item in Joh. cap.* XVIII. *vers.* 18.

(7) Habuêre ante captivitatem Babylonicam *menses* sua nomina peculiaria, ut אָבִיב *Abib*, vel à *spica* אָבִיב vel ab אָב *patre* sic dictus, quòd esset *primus* seu *pater mensium*, *anno sacro*. *Exod.* XIII. 4. Secundò זִו *Sif.* 1. *Reg.* VI. 1. Tertiò אֵיתָנִים *Ethanim*, in cujus *mensis* etymo Autores variant: vox notat *horridos*, *validos*. Forsan sic dictus, quòd tum temporis viri Mavortii è castris redeant; quemadmodum viri docti נִיסָן *Nisan* à נֵס *vexillum* deducunt, quòd *Aprili vexilla* in campum proferantur: vel quòd bruma horrida eo *mense*, vel quòd cursus omnium *mensium* incipiat invalescere. 1. *Reg.* VIII. 2. Quartò בּוּל *Bul*, quæ vox per aphæresin eadem est cum יְבוּל, h. e. *proventu*. Sic dictus, quòd eo *mense* terra omnis generis proventum profluere qu. faceret. Atque sic menses sua hæc nomina etiam ante captivitatem Babylonicam sortiti erant, sæpius tamen nomine numerali veniebant.

Landesbibliothek Oldenburg

investiverunt. A. נִיסָן *Nisan*, dicitur quoque אָבִיב *Abib*, quæ vox *spicam* notat; nam hoc *mense* hordeum *spicas* emittebat, & ex parte *Martio* & *Aprili* nostro respondet. B. *Jiar*, alias זִו *Sif*, quod significat *nitorem*, quoniam eo *mense* arbores floribus *niterent* gemmisque luxuriarent. Hic coïncidit cum nostro *Aprili* & *Majo*. C. סִיוָן *Sivan* partim cum *Majo* & *Junio*. D. תָּמוּז *Thamuz* ex parte nostro *Junio* & *Julio* respondet. E. אָב *Abh* respondet ex parte *Julio* nostro & *Augusto*. F. אֱלוּל partim nostro *Augusto*, partim *Septembri*. G. תִּשְׁרִי, aliàs אֵיתָנִים, partim *Septembri*, partim nostro *Octobri*. H. מַרְחֶשְׁוָן, aliàs *Bul*, partim *Octobri*, partim *Novembri*. I. כִּסְלֵו partim *Novembri*, partim *Decembri*. K. טֵבֵת partim respondet *Decembri*, partim *Januario*. L. שְׁבַט partim *Januario* nostro, & *Februario*. M. אֲדָר *Adar*, *Veadar* nostro *Februario* & *Martio*.

XIV. Ante migrationem ex Ægypto suum *annum* auspicabantur *mense Thisri*. Et sic in rebus civilibus, negotiis, & mercatura, *annis* Sabbathicis &c. Judæi hoc calculo usi sunt; Ἐν μηνὶ δευτέρῳ, Δίῳ μετὰ ὑπὸ Μακεδόνων λεγομένῳ, μαρσονάνῃ δὲ ὑπὸ Ἑβραίων. οὕτω γὰρ Αἰγύπτιοι τὸν ἐνιαυτὸν ἦσαν διατεταχότες. Μωϋσῆς δὲ τὸν Νισὰν, ὅς ἐστι ξανθικὸς, μῆνα πρῶτον ἐπὶ ταῖς ἑορταῖς ὥρισεν; *Mense secundo*,

cundo, (†) Dio postea à Macedonibus dicto, Marsonane (mendosè μαρσονάνη ponitur pro μαρχασκάν, qui *mensis* erat olim *secundus* apud Hebræos, sicut & *Dius* apud Macedonas) *autem ab Hebræis. Sic enim Ægyptii annum erant metati. Moses autem* τὸν *Nisan, qui est Macedonibus Xanthicus, primum mensem festis præstituit. Joseph. Antiq. lib.* I. *c.* 4. Sic post migrationem ex Ægypto suos ordiebantur *annos mense Nisan*, & hoc calculo in solennioribus Festis utebantur. (8)

CAP.

(†) Cæteris *Græcis*, & præprimis *Atheniensibus*, qui annum à Solstitio æstivo, h. e. mense Junio, inchoabant, alio nomine atque hocce ordine, Menses recensebantur. Εκατομβαιών *Junius*, à festo, quo Hecatombe peragebatur, dictus; Μεσαγειτνιών *Julius*; Βοηδρομιών *Augustus*; Μαιμακτηριών *September*; Πυανεψιών *October*; Ανθεστηριών *November*; Ποσειδιών *December*; Γαμηλιών *Januarius*; Ελαφηβολιών *Februarius*; Μουνυχιών *Martius*; Θαργηλιών *Aprilis*; Σκιροφοριών *Majus*, à festo in honorem Cereris celebrato nominatus. Singuli Menses apud eosdem dividebantur in tres decades, quarum *prima* dicebatur Ισταμένου μηνὸς *instantis mensis*; *altera* μεσοῦντος μηνὸς *medii mensis*: *tertia* ἀπιόντος μηνὸς *abeuntis mensis*.

(8) Judæi non tantùm duo *anni* initia habuerunt, scil. *Anni Sacri mensem Nisan* seu nostrum *Martium*, & *Anni Civilis mensem Thisri*, sed quatuor initia. *Martii novilunio* fuit *novus annus Regum & festorum*, h.e. ab eo supputare incipiebant *annos* Regum suorum Judæi in contractibus, chirographis, instrumentis publicis, quæ ad *annos* & *menses* regnantis Regis componebantur; adeo, ut quamvis *uno mense* vel *die* ante *novilunium* & *Nisan* Rex electus esset, ille *mensis* & *dies* pro *integro anno* reputaretur. Festa quoque ab eo *novilunio* numerabant, nim. *Pascha* est *mense primo*, festum

CAP. II.

De Festis & Conviviis.

I. ANtequam descendamus ad Judæorum *Festa* in specie, contemplabimur ipsorum morem modumque celebrandi *festa* in genere.

II. Quemadmodum ipsorum *convivia ordinaria* nec multa, ita nec splendida fuerunt. Vocabantur אֲרוּחוֹת ab אָרַח *iter facere*, quod vocabulum propriè significat *viaticum*, seu *commeatum*, *quo viatores in itinere utuntur*. Sic ea vox usurpatur *Jer.* XL. 5. *Præfectus satellitum dedit ipsi* אֲרוּחוֹת *viaticum, & munus, & dimisit eum.* Sic *Prov.* XV. 17. *Melius est* אֲרוּחַת יָרָק *viaticum* vel *cibarium oleris, ubi est amor &c.*

stum *Tabernaculorum mense septimo*, numerando à *Paschate*. Deinde, *secundum anni initium* erat *annus novus decimandi pecoris*, h. e. *novilunium* ♄ *Elul* seu *Augusti*, à quo numerabant & *annos* & *menses nati pecoris*, ut decimas ritè penderent. *Tertium anni initium* seu *novus annus erat novilunium* ♄ *Tisri* seu *Septembris*. Ab hoc *mense* supputabant *mundi creationem*, item *annum Sabbaticum*, item *Jubilæum*, item *annum arborum consitarum*, ut apprimè *annum*, quo ipsarum fructibus vesci liceret, nossent. V. G. *Si* arbor esset plantata unum ante *Tisri mensem*, ille *mensis* habitus est pro *integro anno*. *Quartum anni initium* fuit *novilunio mensis Schebath*, h.e. *Januarii*; hic *mensis* fuit *novus annus* & *arborum* & *fructuum*: scil. juxta hunc *mensem* vel decimæ dabantur, vel quoque fructuum esus aut concedebatur, vel prohibebatur. Vide plura apud *Buxtorf. Synag. Jud. c.* 12. & ex eo *Leusdenii Phil. Hebr. Mixt. Dissert.* 34.

Landesbibliothek Oldenburg

III. *Extraordinarium & liberalius convivium* ipsorum in solennitatibus, plerumque dicebatur מִשְׁתֶּה *convivium*, *compotatio*, ab illorum *liberaliori & largiori potatione* in istiusmodi *conviviis*: veluti Græci amant συμπόσιον dicere, ab altera *conviviorum* parte, bibendo scil.

IV. Alia præterea *conviviorum festorum* species erat, nempe, quando *convivabantur* exporrectâ fronte, sacrificiorum suorum reliquias absumentes. Hæc vocârunt חַג *festum*, *solennem festivitatem*, à rad. חָגַג *festum celebravit*. (1) Ab hoc *convivandi* more post sacrificia peracta, primævæ Ecclesiæ Christiani suas *Agapas*, quæ comitabantur Cœnam Dominicam, duxerunt instituerunt-que. *Chrysost. in* 1. *Cor.* XI. *Hoc autem præcipio.*

V. In

(1) Forsan sagaciores Christiani primævæ Ecclesiæ, videntes illud Judæorum *festum* post peracta sacra aliud quid portendere, facilè *agapas* celebrare inducti sunt, ut, quod jam impletum esset, signo aliquo contestarentur. Nam si ipsa sacrificia Christum & ipsius mortem significârunt, cur non alia, quæ consecuta sunt peractum sacrificium, significent ea, quæ mortem Christi exceperunt? *convivium* ergo illud post sacrificium notavit totum N. T. futurum esse ἑορτὴν *festum* 1. *Cor.* V. 8. in quo Christiani lætentur ob exhibitum verum hilasticon sacrificium, & non magis habeant τὸ πνεῦμα δουλείας εἰς φόβον *spiritum servitutis & timoris*, sed τὸ πνεῦμα τῆς ἀγαλλιάσεως *spiritum lætitiæ*, fratre fratrem sub ficum & vitem in purificata conscientia invitante. Sed quid sit N. T. & quinam illi, qui sub gratia N. T. τῇ ἑορτῇ festo, & convivio Christi, Angeli fœderis, & communione Sanctorum fruantur, suprà vidimus.

Landesbibliothek Oldenburg

V. In utroque hoc solenniori *convivio* aliquas ceremonias, tanquam præparationem ad *convivium præmittebant*, alias in *benedictione seu gratiarum actione*, alias in ipso *accubitu* adhibebant.

VI. *Ceremoniæ præparatoriæ* præprimis *tres* erant: A. *Salutatio*. B. *Convivarum pedum lotio*. C. *Olei* in ipsos *effusio*.

VII. *Salutatio* aut *verbis* fiebat, aut humili quâdam *corporis flexione*. *Verbis* sic: *Dominus vobiscum*. Vel: *Benedicat vobis Dominus*. *Ruth*. II.4. Inde *Benedictio* in S. Scriptura sæpè sumitur pro *Salutatione*. *Tertull. lib.* 4. *contra Marcion*. *Si quem inveneris*, ait Elisa ad Gehasi, לא תברכנו, *non benedices* seu *salutabis eum* 2. *Reg*. IV. 29. Sic & transfert versio nostra; *salute him not*. Subinde inquiebant: שָׁלוֹם לָכֶם, *pax vobis*, *pax tibi*, *pax super te*, *pax super vos*; לֵךְ לְשָׁלוֹם *abi in pace &c. Intrantes domum*, *salutate eam*. *Et quando digna fuerit hæc domus*, ἐλθέτω ἡ εἰρήνη ὑμῶν ἐπ' αὐτήν, *veniat pax vestra super eam*; *si autem non fuerit digna*, *pax vestra ad vos revertatur*. *Matth*. X. 12. 13. *Flexione* sive *gestibus corporis* ita; *Salutabant* interdum *incurvatione totius corporis*, interdum τῷ καταφιλεῖν τὰς πόδας (2) *deosculatione pedum*. *Luc*.

(2) Ille mos *exosculandi pedes* creber, & antiquis temporibus ratus fuit apud Judæos; Sic ut subditi coram Rege, discipuli coram eximio aliquo Rabbi procumberent, genuaque ore libarent. Sic socer Rabbi Akibæ, cum exercitu discipulorum Hierosolyma redeuntis, pedibus se

Luc. VII. 58. Plerumque *osculo ordinario. Xenoph. de instit. Cyr. l.* 1. *p.* 17. Item *lib.* 5. *p.* 113. *Tunc obviàm processit Moses socero suo, & incurvans se osculatus est eum. Exod.* XVIII. 8. *Oscula quoque libavit Joseph omnibus suis fratribus, flens super iis, Gen.* XLV. 15. Hoc vocat *Paulus* φίλημα ἅγιον *osculum sanctum* I. *Cor.* XVI. 20. *Petrus* φίλημα ἀγάπης *osculum amoris.* 1. *Pet.* V. 14. *Tertullianus* appellat *osculum* (3) *pacis.* *Tertull.*

se advolvit, osculaque fixit. Vid. 2. *Reg.* IV. 27. & alibi. Postquam *Georgius Hornius* variis argumentis probasset, Americanos progeniem esse Phænicum, ut Chittæorum, Cananæorum, Amorræorum &c. pergit id stabilire quibusdam ritibus, quos secula labentia & Scytharum irruptio non obliteraverint, aitque & hunc ritum inter alios obtinere, ut pedes designatis Regibus osculentur *l.* 2. *cap.* 12. *de Orig. Am.* Apud exteras quoque gentes ille mos frequens fuit, siquidem *Dio de Cajo Imperatore* hæc prodit: Ἐφίλει ὀλιγίστους, τοῖς δὲ πλείστοις καὶ τῶν συμβουλευτῶν ἢ τὴν χεῖρα, ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ἔρεχε. *Paucissimos osculatus est, plurimis autem, etiam senatorii ordinis, aut manum aut pedem osculandum præbuit.* Scio quidem id fecisse Cajum non tam ex more publico, quàm suo. Sed constat apud plurimas alias gentes illam προσκύνησιν *ad pedes demissionem* valuisse, à quibus insolentiores Romanorum eam duxerunt. Ubi autem communis consuetudo illam *pedum osculationem* probavit, ibi tutò à dignitate conspicuis admitti potuit; uti fecêre plures Judæorum Reges, & ipse Christus. Quid ergo dicendum de Papæ (qui sibi persuadet & in locum & in jus Christi successisse, ita ut sit Ἀντίχριστος *Pro-Christus*) superba rabie? quum nec mos, nec jus ipsius pavoninos pedes mundent, quo tutò lambi possint. De hac Papæ *osculatione* loquitur *Hoseas cap.* XIII. 2.

(3) Illud *osculum*, quod appellatur ab Apostolo ἅγιον *sanctum*, sine dubio fuit signum pacis inter eos, qui se basia-

Tertull. de orat. cap. 14. Hæc fuerunt *oscula*, quæ non *Cato* quispiam carpere, quæque *Virgo Vestalis* capere tutò possit.

VIII. Hujus generis *tria* fuerunt Judæis; *Drusius ad difficil. loca Exod.* XII. A. נְשִׁיקוֹת פְּרוּקִים *oscula propinquorum, seu salutationis*, quæ explicata sunt præcedenti Josephi exemplo. B. נְשִׁקוֹת פְּרִשׁוֹת *oscula separationis. Non permisisti mihi, ut oscula filiis meis & filiabus meis figerem. Gen.* XXXI. 28. C. נְשִׁקוֹת גְּדוּלוֹת *oscula magnitudinis*, sive *humiliationis*. Vox Hebr. significat *oscula dignitatis*, quæ erant signa *humiliationis & reverentiæ* erga Regiam Majestatem & supremâ potestatem: Tum *Samuel, sumptâ olei lenticulâ, perfudit caput ipsius, osculatusq; est eum. 1. Sam.* X. 1. Huc referunt illud Psalmi II. vs. 12. *Oscula-*

basiabant obvii, *Rom.* XVI. 16. 2. *Cor.* XIII. 12. 1. *Thess.* V. 26. &c. uti liquet ex 2. *Sam.* XX. 9. propterea *Amasa*, nimis fidens felleo suavio *Joabi*, transfixus est. Hoc autem *osculi* genus inter occursum ipsis populis Occidentalibus in usu fuit; hinc legitur *Tiberius oscula quotidiana prohibuisse edicto. Sueton. in Tiber.* Apostolus ergo, illum civilem morem non obliteraturus, *osculum* illud, quod Gentes sæpè ore, h. e. lascivè & impudicè aut sine sincero amore, aut idololatricè dederunt, ἅγιον esse voluit, *sincerum*, lascivo, irreligioso, & proditorio, quale fuit *Judæ* & *Joabi*, oppositum. Proinde Romani & Tertullianus id vocârunt *osculum pacis*; & forsan adhuc umbra ejus relicta est inter Pontificios, qui, sacerrimis suis sacris finitis, agnum *osculantur*; quod *osculum* vocant das pacem küssen.

Osculamini filium, (4) *ne irascatur*. Quamvis autem his *salutationibus* in publico occursu, attamen iisdem quoque, si quem privatim excipiebant, utebantur; quod liquet ex multis antè citatis locis.

IX. *Secunda ceremonia præparatoria* erat *lotio pedum* ante discubitum, (5) non solùm Judæis, sed & Genti-

(4) *Oscula magnitudinis* erant vel *sacra* vel *civilia*, illa Diis, hæc superioribus hominibus dabantur. Utraque nota erant subjectionis. *Civilia* fiebant interdum vel pedum vel manuum alterius, vel suarum *osculatione*; tum autem suarum, si vel verecundia, vel intervallum illos à propiori accessu *abarcebat* עַל־פִּיךָ יִשַּׁק כָּל־עַמִּי. *Ad os* (seu mandatum) *tuum osculabitur omnis meus populus*, scil. manum suam; nempe in signum subjectionis; unde *Luth.* vertit (forsan ex LXX. qui habent ὑπακούσεται *auscultabit*) deinem Wort soll all mein Volck gehorsahm seyn. *Sacra sunt Hos.* XIII. 2. 1. *Reg.* XIX. 18. fiuntque eodem gestu ut *civilia*; vel enim ipsi idolo *oscula*, vel manui in ipsius honorem libantur; hinc juxta quosdam est *adoratio*, quasi *manûs ad ora motio*. Vid. de *sacris osculis* & *adoratione manuaria Lips. Elect.* l. 2. c. 6. Sunt ergo qui putant, hîc ad *sacrum osculum Psalm.* II. alludi; sed potiùs credam ad *civile*, ut *osculentur filium tanquam Regem super Zione uvctum*, h. e. fidelitatem & homagium præstent; quâ ratione etiam Marot eum locum sic transtulit:

Faites hommage au Fils, qu'il vous envoye,
Que courroucé ne suit amérement.

Nolo nunc addere Rabbinorum expositionem, quæ reverà resipit κατήχησιν Antiquorum de Messia. Videatur *Galatinus de Arcan. Cathol. ver. l. 3. c. 6.*

(5) Quæritur, num *lotio pedum* in Paschate & in conviviis fuerit ordinarius ritus ante accubitum? Sunt, qui negant.

negant. 1. Quia monumenta Judæorum agentia de conviviis non inculcent istum ritum tanquam ordinarium. 2. Quia Christus ἐκ τ δείπνυ *laverit discipulorum pedes Joh.* XIII. 4. *Sed* respondeo: Judæorum libri satis testantur de *lotione pedum* ante discubitum ordinaria, etsi eamdem non tanquam positivam legem memorent, quæ sine peccato omitti nequiverit. E. G. Sternere mensam mappâ apud nos ordinarium est, potest tamen omitti. Hinc dupliciter respondeo ad secundam objectionem: vel discipulos lavisse pedes suos, aut à ministro alio fuisse lotos ante discubitum, idque à S. Scriptura non exprimi; vel ipsos pro ea vice omisisse usum *lotionis*. Sic, ut Christus occasione exinde arreptâ, ut & ex φιλονεικίᾳ *contentione* discipulorum de primatu, quæ orta est *inter* cœnam *Luc.* XXII. 24. surrexerit ex cœna & ipsorum pedes laverit, ut ostenderet 1. Se esse servum factum. 2. Nos ab ipso mundari. 3. Debere ipsius imitatores fieri, qui sint ab ipso loti. Præterea illud ἐκ τ δείπνυ non probat Christum lavisse post cœnam, commodè enim potest verti *inter cœnam*: nec idem evincit vs. 2. ubi exstat δείπνυ γενομένυ, quod Beza vertit, *peractâ cœnâ*, Luth. nach dem Abendmahl. Siquidem id aptius, transfertur *initâ cœnâ*, & ita debere transferri, jubet vs. 12. Christus ergo non post cœnam, sed cùm adhuc accumberent discipuli, ipsorum pedes lavit. Vide contra *Buxtorfium*, *Scaligerum*, *Bezam*, & alios negantes hunc usum ordinarium, Cl. *Leusdenium differt.* 38. *quæst.* 7. De hac phrasi δείπνυ γενομένυ vide *Coccej. Epist.* CLXXXIII. Quòd si ergò Dominus Jesus interea, dum ista lotio peragebatur, proditorem publicè notavit, denuòque dum Pascha comedebatur, omnibus quæritantibus digito quasi commonstravit, absque ratione fuerimus, ubi putaverimus, Judam vel voluisse vel potuisse omnium oculos sustinere, qui ipsum ut proditorem Heri intuebantur, & usque ad finem cœnæ, ultimumque quasi poculum, moram trahere. Sumtâ ergò de agno paschali parte suâ, rubore & livore repletus, citò abiit. Prius autem abire non poterat, quam ut Judæus Sacramento Paschatis fuisset usus.

Gen.

Gentibus ipsis, usitata. *Locus hic tuus est, huc accumbe. Ferte aquam pedibus. Præben' tu puere? Plaut. Pers. Act. V. scen. 2. Introduxit vir ille homines illos in domum Josephi, deditque aquam, & laverunt pedes suos. Gen.* XLIII. 24. Hoc servitium plerumque administrabatur per (6) servos, & per vilissimos domûs, uti constat ex facto Christi Salvatoris nostri, qui ὑπόδειγμα ταπεινότητος *exemplum humilitatis* relicturus, *lavit pedes discipulorum. Joh.* XIII. 15. *Et* Abigaïl Davidi ipsam in connubium accepturo dicebat: *Ecce ancilla tua pro famula erit, ad lavandum pedes servorum domini mei.* 1. *Sam.* XXV. 41.

X. Ad hunc finem certa vasa ipsis erant præstò, huic usui destinata. Illud vas τὸν νιπτῆρα vertimus *pelvim. Joh.* XIII. 5. *Infundit aquam in pelvim*; cùm ea vox νιπτὴρ plerumque significet *labrum*, adhibeaturque ibidem pro eo, quod Græci vocant (7) ποδόνιπτρον *pelluvium*. Quispiam hîc quærere posset, undenam hæc aqua hausta fuerit? Non video disconvenientiam, si dicimus, in ipsorum καταλύμασι sive *tricliniis* disposita plerumque

(6) Fuisse illud officium planè servile, testatur Petrus, cùm renueret; imò fuisse planè inusitatum factum Christi ex eo patet, quòd nec discipulo incubuerit officium lavandi pedes magistri. Vide *Lightfootum Hor. Hebr. Joh.* XIII. 5. De Christi facto vid. not. præced.

(7) Ποδόνιπτρον seu ποδάνιπτρον non est ipsum *pelluvium*, sed *aqua* in eo. Ποδανιπτὴρ dicitur *pelluvium*. Juxta Pollucem ποδανιπτὴς est ὁ λέβης, ποδόνιπτρον verò τὸ ἀπ' αὐτοῦ ὕδωρ, νίπτρον, πλυντήριον.

rumque fuisse vasa magna, ex quibus in minora, quantum necesse erat, infundebant.

XI. Cujusmodi non ineptè putantur fuisse illæ *hydriæ*, quæ memorantur *Joh.* II. 6. *Stuckius lib. conviv.* Erant ibi ὑδρίαι λίθιναι ἕξ *lapideæ hydriæ sex, positæ ad purificationem Judæorum.* Per τὸν καθαρισμὸν *purificationem* intellige hanc curiosam *lotionem*, de qua agimus. Jam si contemplamur consuetam manuum *ablutionem*, quam, etsi in se damnanda non esset, superstitio tamen Legisperitorum & Pharisæorum corrumpebat; & rursùs *lotionem pedum* ante & post convivium, (Salvator enim noster suorum discipulorum pedes lavit á cœna) (8)

P quam

(8) Vide de hoc *not.* 5. Sed & videtur Salvator noster hâc suâ *lotione* docuisse, quid significârit *pollubrum* Sacerdotum in V. T. Illi enim ad altare accessuri, Deoque mundum sacrum facturi, manus & pedes *abluebant*, sed suos; Christus, dum se-ipsum oblaturus esset, non suos sed alienos, imò suos lavit pedes; nimirùm Apostoli velut pedes Christi erant, quibus ille in totum mundum portaretur *Es.* LII. 7. Hos Christus præprimis, deinde & alia infima & vilissima, si quæ sunt vilissima, sua membra, sui sanguinis flumine à peccatis abluit. Unus ex illis Apostolis illotus mansit, imò abscissus est, Judas. Hinc cùm Petrus diceret, *non lavabis meos pedes in æternum*; Christus respondit, *nisi te lavero &c.* totum hominem pro pede accipiens. Et rursùs cum Petrus postea & caput & manus & pedes lavari cuperet; non regessit Christus; *ei, qui lotus est, non opus est, ut pedes lavet*; quod tamẽ ferè omnes Interpretes volunt; Sed hoc dixit, ὁ λελουμένος οὐ χρείαν ἔχει, ἢ τοὺς πόδας νίψασθαι. ἀλλ' ἔστι καθαρὸς ὅλος, *qui ablutus est, non opus habet, vel ipsos lavari pedes, sed totus mundus est*; q.d. quid enim opus est ejus lavare pedes, qui jamjam lotus

totus

quam Hebræi dicunt ſolummodò in ipſo feſto *Paſchatis* uſurpatam fuiſſe, tum non mirum erit, ſi & multa & capacia vaſa præſtò ſtabant.

XII. Inſuper notandum eſt, quòd, quemadmodum adminiſtratio ſimplex, ita & vaſa vulgaria & vilis pretii fuerint. Quæ obſervatio lumen dat illis verbis *Pſ.* LX. 10. מוֹאָב סִיר רַחְצִי *Moab eſt olla lotionis meæ*, ſeu pollubrum meum. Hoc eſt; Moabitæ ita mihi ſubſternentur, velut pollubrum pedibus meis.

XIII. *Tertia ceremonia præparatoria* erat *effuſio olei. Mulier in illa urbe allato alabaſtro unguenti, & ſtans apud pedes ejus retrò, flens cœpit humectare pedes ipſius lacrymis, & abſterſit capitis ſui capillis, & deoſculabatur pedes ipſius,* καὶ ἤλειφε τῷ μύρῳ *& unguento* (9) *ungebat. Luc.*

totus eſt à capite ad calcem? *Knatchbull. animadverſ. in N. T. Joh.* XIII. 10. Non tamen inficias vero, priorem interpretationem commodam eſſe, ubi Chriſtus hoc voluiſſe putatur: *Qui lotus eſt* & regeneratus aquâ & Spiritu, *non opus habet*, niſi ut quotidie vitæ actiones lotas ſervet, & ubi collutularit, lacrymis abluat.

(9) Uſitatiſſimus mos fuit caput pretioſo & aromatico unguento deliniri, pedes vulgari. Sed Maria unxit Chriſti pedes μύρῳ νάρδου πιστικῆς *unguento nardi probatæ*, tranſeuntis, non metuentis probationem, ſic ut πιστικὴ derivetur à πίστις; vel, ſi mavis, poteſt eſſe μετάθεσις literarum, פִּיסְתָּקָא pro סְפִיקְתָּא *ſpicata*; ut autumat *Voſſius Harm. Euang. l.* 1. *c.* 3. §. 14. Quidquid ſit, certum eſt, extraordinario modo unxiſſe Mariam pedes Jeſu, nempè μύρῳ πολυτελεῖ καὶ πολυτίμῳ *unguento opiparo.* Et propterea putem, non ſolum

Luc. VII. 37. 38. Effundebatur quoque *in caput*, quapropter eodem in loco Christus Pharisæo, qui ipsum invitaverat, objicit; *Oleo caput meum non unxisti.* Et *Ps.* XXIII. 5. *Delibutum reddis caput meum oleo.*

XIV. *His ceremoniis præparatoriis* absolutis transeunt ad *gratiarum actionem.* Paterfamilias cum domesticis considens cyathum vino spumantem tenet dextrâ, simulque suam *benedictionem* orditur hâc formalâ: בָּרוּךְ אַתָּה יְיָ אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם בּוֹרֵא פְּרִי הַגָּפֶן *Benedictus sis tu Domine, Deus noster, Rex mundi, qui creas fructum vitis.* Hoc dicto, delibat vinum, scyphusque ab eo in corona accumbentium circumit. Hanc *benedictionem* vocant בִּרְכַּת הַיַּיִן *benedictionem vini.* Hoc modo videtur Christus suam orsus cœnam esse: *Accepto poculo, gratiisque dictis; sumite, ait, hoc, & dispensate inter vos; Dico enim vobis, quòd non sim bibiturus ἀπὸ τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου ex fructu vitis, usquequò venerit regnum Dei. Luc.* XXII. 17. 18.

XV. *A benedictione calicis*, paterfamilias sumit panem, ut illum scindat, non abscindat; nam

solum Judam increpuisse fœminam. Nec videtur Christus potuisse uni Judæ *Marc.* XIV. 6. dicere in Plurali, ἄφετε αὐτὴν *mittite eam:* cæteri autem discipuli aliam suæ increpationis rationem habuerunt, quàm Judas, nempè eam, quòd muliercula tam pretiosum unguentum in pedes effundere non dubitaret; cùm proditorem subducti nummi malè haberent.

Landesbibliothek Oldenburg

illum tantùm incidit, quò faciliùs frangat, non penitùs dissecat. (10) Sic incisum ambabus manibus tenet, consecratque his verbis: בָּרוּךְ אַתָּה יְיָ אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם הַמּוֹצִיא לֶחֶם מִן הָאָרֶץ *Benedictus sis tu Domine, Deus noster, Rex mundi, qui profers panem ex terra.* Hanc panis *consecrationem* vocant בִּרְכַּת הַלֶּחֶם *benedictionem panis. Drus. in N. T. part. alt. p. 78.* Post consecrationem frangit; (à qua actione paterfamilias, aut is, qui illius loco *benedictionem* facit, dicitur הַבּוֹצֵעַ *concisor, fractor*) deque fracto, cuivis accum-

(10) *Fractionis* ritus antiquissimus fuit, & ab ipso nostro Salvatore non sine sensu mystico usurpatus. Sed an eo modo quoque inciderit panem, quo hodierni Judæi, nescio. Hunc suum incidendi modum pro more insulso eliciunt ex *Ps.* X. 3 ubi ita legitur: בּוֹצֵעַ בָּרַךְ נִאֵץ יְהוָה, hoc est, *avarum*, κυμινοπρίστην *cumini sectorem*, *benedicit*, scil. הָרָשָׁע *improbus* (qui *præcessit*) *spernit Jehovam*; vel בּוֹצֵעַ potest quoque esse Nominativus. Quæ verba juxta ipsorum *asininam*, ut *Buxtorfius* loquitur *Synag. Jud. cap. 7. interpretationem* sic sonant: *qui penitùs dissecat*, *scil.* panem *& gratiarum actionem recitat*, *is Deum irritat.* Ubi scioli בּוֹצֵעַ *dissecantem* esse volunt. Verbum quidem *secare*, *concidere* significat, sæpè tamen quoque *lucrum facere*, *aliorum res concidere*; uti hîc. Illa autem panis fractio à Christo usurpata notavit [1] ruptionem carnis tùm suæ ipsius, tùm nostræ, per varias afflictiones & mortem; [2] quòd Christiani veri carnem suam subigant & frangant; [3] quòd se totos proximo impendant & communicent.

Landesbibliothek Oldenburg

cumbenti frustum (11) impertitur. Tumque cæteris patinis repletis manus laxant. Hanc pànis atque calicis *benedictionem* solummodò observant in solennioribus Festis, aliàs enim solum panem, non calicem, consecrant.

XVI. Tempore convivii cibos suos condiunt appositis parabolis, & similibus, quæ aut materiem institutionis præbent, aut ingenium exercent. Idem familiare etiam fuit Christianis *agapas* celebrantibus; de quibus *Tertull. Apol. c.* 39. *Non tam cœnam cœnant, quam disciplinam.* Prioris generis fuit illa *Parabola*, quam servator noster in medium protulit inter convivium *Luc.* XIV. 7. Posterioris, *ænigma Simsonis*, quod suis sodalibus enodandum proposuit. *Jud.* XIV. 3.

XVII. Sub fine convivii repetebant *gratiarum actionem*. Eam recitavit aut paterfamilias, aut hospes majore gravitate emicans, prensoque ambabus manibus scypho vini pleno, ita orsus est: *Laudemus eum, qui nos suis bonis alit, & cujus benignitate vivimus*; tum resonant omnes discumbentes:

(11) Et hic ritus nos docet, quàm congruè celebrent Reformati S. Cœnam; Pater enim familias fractum panem non in os accumbentium ingessit, sed distribuit. Imò ne quidem in manus panem dari fas erat, quod testatur *Buxtorf. l. c.* & canon ille *Maimonidis: Fractor dat particulam coram unoquoque, & alter tollit eam sua manu; nec fas est ei in comedentis manum porrigere, nisi lugens fuerit.* Si autem mos vulgaris vetuit panem in manum porrigi, quominùs verum est, quòd bucella in os discipulorum ingesta sit? Aut an os sanctius est manu? & manus porrigentis purior manu accipientis?

Landesbibliothek Oldenburg

Benedictus sit, cujus cibis fruiti sumus, & cujus liberalitate subsistimus. Hanc *gratiarum actionem* vocant בִּרְכַּת הַמָּזוֹן *benedictionem alimoniæ.* Et hîc censetur fuisse calix, ex quo post cœnam Salvator noster suis discipulis mysterium sive sacramentum sanguinis propinavit. *Vide P. Fag. in prec. Hebr.* Postea, sic orsus *gratiarum actionem*, pergit: *Benedictus sit, & benedictum sit nomen ejus &c.* prolixam (†) appendens orationem, quâ *gratias* dicit. 1. Pro præsenti alimento. 2. Pro eductione ex Ægypti ergastulo. 3. Pro fœdere Circumcisionis. 4. Pro Lege per manum Mosis data. Deinde supplicat Deo, ut propitius sit. 1. Populo suo Israeli. 2. Suæ urbi Hierosolymæ. 3. Tzioni, Tabernaculo gloriæ suæ. 4. Regno domûs Davidis uncti sui. 5. Ut mittat Prophetam

(†) Prolixas orationes fundere & probis & hypocritis commune est. Christus sanè noctes integras precibus transigens, haud breve precatus est. Sed tamen est in ipsis verbis quædam differentia, ne dicam de animi & gestuum ipsorum ratione. *Illi* in prolixis orationibus sæpè eadem verba, tanquam tot ictus in certamine, repetunt *Matth.* XXVI. 44. non ut repetant, aut prolixè longùmque orent, sed ut intendant & certò citòque impetrent, Deumque vincant. *Hi* in prolixis orationibus *Synonyma*, *exquisitaque verba* quærunt, ut orationem extendant, putantes Deum delectari multis pulchrisque verbis, *Matth.* VI. 7. *Esa.* I. 15. *Matth.* XXIII. 14. Et ubi propè consideres hanc Judæorum orationem, videbis verborum Synonymias. Atque hujus generis orationibus, ubi Synonymiæ cum fastu & luxu vocabulorum certant, scatent multi libelli precationibus Inscripti, Gebet-Bücher. Deus autem omnis verborum luxuriæ osor est.

Landesbibliothek Oldenburg

tam Eliam. 6. Tandem ut ipsos dignos esse velit diebus Messiæ καὶ αἰῶνι μέλλοντι & *seculo futuro.*

XVIII. Hâc finitâ oratione omnes convivæ suppressâ voce ita dicunt: *Timete Dominum Sancti ejus, quoniam non est penuria timentibus eum: leunculi inopiam & famem patiuntur, sed quærentes Jehovam non destituuntur ullo bono. Ps.* XXXIV. 10. 11. Postmodum is, qui *gratias* dicebat, & *calici benedicere* solebat, eâdem formulâ usus est, cùm accumberent primò, & sic orditur: *Benedictus sis tu Domine, Deus noster, Rex mundi, qui creas fructum vitis*; ex quo delibat paulum vini, calicemque in orbem mittit. *Sic benedictio calicis* & inchoat & claudit convivium.

XIX. Hunc calicem vocabant כוס הלל τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, sive ὑμνήσεως, *poculum benedictionis.* Utriusque hujus populi ante & post cœnam meminit *Lucas cap.* XXII. 7-20. Hic notatu dignum, quòd verba *benedictionis* comitentur tantùm ultimum calicem, quibus is tanquam pars altera S. Sacramenti N. T. consecratur. Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου *Hocce poculum* (est) *Novum Testamentum in sanguine meo.*

XX. Post hæc omnia cantant (12) *Hymnos* & *Psalmos*, quemadmodum & factum à nostro Sal-

(12) Cantant ὕμνους nocte Paschatis; non aliâ nocte, nisi hâc, tenentur eos canere; quem canonem sibi eliciunt ex *Esa.* XXX. 29. Ille *hymnus* conficiebatur ex *Psalmis* sex, initio facto à *Ps.* CXIII. ad finem CXVIII. Duos priores

vatore. *Marc.* XIV. 26. *Scalig. de emend. Temp. l.* 9. *p.* 273. Sic ipse, etsi nullas admisceret frivolas superstitiones, quæ aut eâ tempestate usitatæ, aut à recentioribus Judæis adjectæ fuêre, (velut, quòd quatuor cyathi (13) sint evacuandi. *Moses Kotſ.*

priores in medio convivio cecinêre, posteriores, agno comeso. De posterioribus Euangelistæ loquuntur, quando Christus & discipuli dicuntur ὑμνήσαν. Ille *hymnus* vocatur הַלֵּל מִצְרִי *Hymnus Ægyptius*, quia agit de submersione Ægyptiorum in Mari Rubro; vel etiam simpliciter הַלֵּל, quia sæpiùs in eo occurrit הַלְּלוּ *date gloriam* Deo; vel etiam בִּרְכַּת הַשִּׁיר *benedictio cantici*; vel ipsa vox *Hymnus* à Talmudistis adhibetur, occurrit enim apud Hebræos vox הִימְנוֹן. Græci & Romani quoque sua convivia carminibus mulcebant, quæ illi à tortuoso & lunato accumbentium ordine (quorum quisque, traditâ sibi myrti fronde, cantilenam modulari tenebatur. *Plut. Sympos.*) σκολιὰ dixerunt. Sæpè etiam apud eosdem chelys convivia perstrepuit, unde *Horat. l.* 3. *od.* 11. ait; quòd testudo sit

Divitum mensis, & amica templis.

(13) Cl. *Leusdenius Phil. Mixt. dissert.* 38. putat hos quatuor *cyathos* quidem Christi tempore usitatos fuisse, Christum tamen eos in comestione Paschatis non adhibuisse, sed, quum fiat mentio duorum diversorum poculorum *Luc.* XXII. 17. 20. alterum poculum pertinuisse ad Pascha, alterum ad Cœnam subsequentem. Multas rationes Judæi quaterni hujus numeri ex vapida sua ratione effodiunt. Quòd fiat quater mentio כּוֹס *poculi Gen.* XL. 11. 13. vel quòd sint quatuor monarchiæ; vel quòd Deus Israelem potaturus sit quatuor *poculis Psalm.* XXIII. 5. XVI. 5. CXVI.

Kotſ. fol. 118. *col.* 1. vel quòd panis frangendus ſit decem unà digitis, reſpectu decem præceptorum. *Sebaſt. Munſter. Matth.* XXVI. &c.) Videmus tamen ipſius ceremonias, & in principio & in fine cœnæ, Judæorum conſuetudinibus accedere. Si quis deſiderat prolixiorem Rabbinicarum harum *benedictionum* telam, is adeat *P. Fagii Commentarios in Deut.* VIII. 10. item *prec. Hebr. per eundem editas*, unde multa eorum, quæ hîc poſui, petita ſunt.

XXI Jam ſi quis objiciat, quod videar S. Sacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri convertere in Judaïcam ceremoniam: Reſp. Nequaquam: nam, ſicut longo tempore ante Judæis in uſu fuit ſpecies initiationis per aquam, ſine qua nullus Proſelytus in Eccleſiæ Judaïcæ gremium receptus eſt, quæ tamen ipſis non Sacramentum fuit, ſed ritus, ut Turcis & Saracenis Circumciſio eſt: Sic *panis fractio* non Sacramentalis,

5. CXVI. 13. vel gentes totidem *poculis Jer.* XXV. 15. LI. 7. *Pſalm.* XI. 6. LXXV. 8. Præcipua autem ipſis ratio exſculpitur ex *Exod.* VI. 5. 6. quòd ibidem fiat mentio quadruplicis liberationis ex Ægypto. וְהוֹצֵאתִי *educam*, וְהִצַּלְתִּי *eruam*, וְגָאַלְתִּי *redimam*, וְלָקַחְתִּי & *aſſumam* vos. Accedit, quòd, cum convivis, uxori & liberis ſit larga lætitia in feſto Paſchatis quocunque modo inſtillanda, propterea putent meracius vinum eſſe inſtillandum, quò in dulcia gaudia ſolvantur, nec ſola gula, ſed ipſum pectus deliniatur. His quatuor cyathis ſeſe irrigare debent ipſi Abſtemii, ut celebrare videantur memoriam quadruplicis illius liberationis. Vid. *Buxtorf. Synag. cap.* 13. Duos hauriunt ante, duos poſt cœnam.

Landesbibliothek Oldenburg

fiebat Sacramentalis, cùm Christus diceret de eo: *hoc est corpus meum.* (†) *Hoc poculum est N. T. in sanguine meo, &c.* Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι, *poculum benedictionis, quod benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi?* 1. *Cor.* X. 16.

XXII. Postremum, quod notatu dignum in ipsorum conviviis, est illorum *positura* sive *situs.* Diebus Salvatoris nostri verisimile est, *posituram* Judæorum respondisse *posituræ* Romanorum. Voces enim, quibus usi sunt Euangelistæ, sonant *accubitum*, non *sessionem.* E. G. Ἀναπίπτειν *Luc.* XXII. ἀνακεῖσθαι *Matth.* XXVIII. κατακεῖσθαι *Luc.* XIV. ἀνακλιθῆναι *Matth.* XIV. Mensam in medio locatam lecti circuibant, vel duo, vel tres, vel etiam plures ratione convivarum, super quibus singulis cubuerunt vel tres vel interdum quatuor, rarò aut nunquam plures. Quando quis recumbebat lecto, superior pars corporis suffulta sinistro cubito, inferior pars extensa lecto, quiescebat. Ubi verò multi lectos occupabant, supre-

(†) Autor hîc videtur absque necessitate vereri Anglorum superstitiosam vocabulorum captionem. Sive enim ritum quendam sacrum *Sacramentum* aut Mysterium appelles, sive sacram *ceremoniam*, quid intererit? In veteri fœdere tot Sacramenta & mysteria erant, quot ritus Mosaici, Sacramenta sive ceremoniæ externæ sunt data sensibus corporis, quibus Spiritus non habet opus. Atque sic suffitus & aromata erant *olfactui*, panes & carnes sacrificiorum *gustui*, musici concentus & tintinnabula *auditui*, Lotiones &c. *tactui*, sculpturæ cherubinorum, &c. *visui* dicata.

Landesbibliothek Oldenburg

supremus, capite lecti repostus, pedes suos ad tergum secundi demisit: eâdem *posituraû* discubuerunt & tertius & quartus, singulis caput sinu alterius recondentibus. (14)

XXIII.

(14) Quomodo, quo ordine Jesus cum discipulis accubuerit, mihi videtur intricatissimum, licèt multis expeditum. Christum quidem accubuisse, non stetisse aut sedisse, in aprico est. Dicunt viri docti & probant ex Talmude, accumbentes reclinatos fuisse in latus sinistrum; rursùs, Johannem jacuisse infra Jesum, h. e. in sinu ejus, Petrum supra, sic ut Jesus jacuerit in sinu Petri, tanquam summo post Jesum loco cubantis. Hâc ratione os à se invicem aversum habuerunt. Tandem Petrum nutum dedisse Johanni, ut misceret verba cum Jesu de proditurо, quia ipse loqui eidem non potuerit promptè. Sed cur non Christus æquè promptè cum Petro, in cujus sinu repostus fuit, miscere sermonem potuerit, ac Johannes cum Christo, non video; multò minus quomodo Petrus potuerit Johanni nutum dare, cum hic averso vultu cubuerit, scil. innixus sinistro cubito. Statuo ergò Petrum non supra Jesum immediate jacuisse, nec illud probare verbum ἤρξατο *cœpit lavare Job.* XIII. 5. 6. quasi Christus initium à Petro, primo loco post Christum cubante, fecerit; illud enim verbum respondet Hebr. הוֹאִיל, quod significat, *animum induxit*, quodque LXX. & Luth. *Deut.* I. 5. ἄρχεσθαι anfangen vertunt. Itaque Petrum pono in summo loco lecti primi, Christum & Johannem in medio lecto; sic ut Petrus dissitus à Christo, facilè nuere Johanni potuerit; qui Petrum eò commodiùs aspicere & affari Christum quivit, si statuitur non innixus sinistro cubito, sed pronus à dextra Jesu cum omnibus accumbentibus jacuisse; nec hoc alienum est, siquidem non priùs innitebantur lateri sinistro, usquedum saturati essent, sed proni cubabant, ut utraque manus ad capiendos cibos esset liberior. Hinc *Horat.* 2. *sat.* 4.

Lan-

XXIII. Sic reclinavit *Johannes in sinum Jesu. Joh.* XIII. 23. Hoc est 1. signum *singularis amoris* erga illum, quem sinu suo recipit paterfamilias. *Johannes erat dilectus discipulus.* 2. Signum est *æqualitatis* accumbentium, altero in alterius quiescente sinu. *Multi ab Oriente & Occidente venient*, καὶ ἀνακλιθήσονται *& discumbent cum Abrahamo, & Isaaco, & Jacobo in regno cœlorum. Matt.* VII. 11. Ubi recumbent? *In sinu Abrahæ. Luc.* XVI. 22. Hoc est, omnes accumbent eidem mensæ, consortes ejusdem gloriæ. Ita Christus fuit *in sinu Patris sui Joh.* I. 18. h. e. juxta linguam Apostoli: *Non rapinam duxit, esse æqualem Deo. Phil.* II. 6.

XXIV. Mensæ perfectè circulares (15) fuerunt, unde ipse accubitus vocatur מְסִבָּה *discubitus circularis*, à rad. סָבַב *circumivit, ambivit*; mo-

Languidus in cubitum jam se conviva reponet.

Et hoc mihi probare videtur vs. 25. cap. XIII. *Joh.* ubi Johannes dicitur ἐπιπεσὼν ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ *se reclinasse ad pectus Jesu.* Jam, si Christus & Johannes cubârant antea innixi lateri sinistro, tum hic fuerat in illius pectore seu sinu, & non potest dici incidisse in pectus Jesu. Quando mihi objicitur vs. 23. resp. quòd ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ, hic sumatur vel per ἀπόλειψιν, vel quòd plerumque cubuerit in sinu Jesu, non eo momento, quo Petrus nuit ipsi, vel pro eo, qui Christo dilectissimus fuit; ut sit illud, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, quasi explicatio præcedentis.

(15) Primò Romanis quadratæ mensæ in usu fuerunt, postea rotundæ; unde *Virgil. l. 7. Æn.*

Et violare manu, malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris.

Hinc

modusque convivas ad accubitum invitandi sic sonabat: סוֹבּוּ *circumsidete. Non circumsidemus* לֹא נָסֹב; *donec venerit huc.* 1. *Sam.* XVI. 11. Rursùs, *Filii tui ut plantæ olearum* סָבִיב *circum mensam tuam.* Hic ritus & ipsius Ezechielis ævo valebat: *Consedisti in lecto honorato, ante quem mensa parata est. Ezech.* XXIII. 41. Et num hic usus obtinuerit apud vetustos Hebræos, aliorum inquisitioni remitto. *Philo Jud. p.* 388. *In vestibus pignore captis accumbunt apud omne altare. Amos.* II. 8. Hoc est, loco lectorum adhibuerunt vestes pignore sumptas, cùm vescerentur apud altaria εἰδωλοθύτοις. Vetustissimus mos erat super lanatis pellibus discumbere. (16) Ovid.

Qui poterat pelles addere, dives erat.

XXV. Imò mos *detrahendi calceos*, cùm accumberent, asserit hujus consuetudinis accumbendi (17) vetustatem summam. Illa *calceorum detractio* vide-

Hinc à rotunditate mensam lunatam dixêre vel sigma. Vide *Pseudodoxiam Epidemicam Brouni* Angli, cap. *de Paschate*; ubi memini hæc occurrere.

(16) Huc facit, quod *Seneca Epist.* 95. sub fin. ait: *Tuberonis ligneos lectulos cùm in publicum sternerentur, hœdinasque pro stragulis pelles, & ante ipsius Jovis cellam, proposita convivis vasa fictilia &c.*

(17) Mos *accumbendi* inde natus est, quòd, cum Antiqui, forsan Græci, ex mollitie à balneis se in lectos reciperent, & languidum corpus cibis reficerent, postea ad commodam desidiam lectos in *accubitûs* loca mutârint. Sed

videtur in Ægypto jam usu venisse, (18) & propterea Israelitæ in comestione Paschatis mandato divino tenebantur ad majorem promptitudinem calceis esse ligati. Ratio, cur eos solito more exuerent, fuit, ne lectulos, quibus incumbebant, collutularent. Quoniam autem lex Paschatis requirit, ut absumatur à calceatis, quod potiùs *stationem* quàm *reclinationem* super lecto injungit, quæri potest, num Christus *accumbendo* mensæ primam institutionem dissolverit? *Tremellius in Matth.* XXVI. 20. cui manum ego meam porrigo, sic occurrit: Sciendum est, ait, quòd *Exod.* XII. dicatur, quomodo parati ad emigrationem ex Ægypto Pascha eo temporis articulo comedere debeant. Nam temporis illius arcta necessitas voluit comestionem concitatam. Postea autem in Lege, ubi reïteratur mandatum de ritu Paschatis quotannis observando,

Sed constat Romanis non tam vetustum fuisse *accumbendi* morem, ut quem demùm à Græcis hauserunt. Vide quid Servius notet in istum Virgilii versum:

Perpetuis soliti Patres considere mensis.

(18) Cl. *Witsius Oecon. fœd. l.* 4. *c.* 9. §. 25. putat Deum jussisse Israëlitas esse calceatos, non quòd aliàs consueverint ἀνυπόδητοι *nudis pedibus* accumbere, sed quòd ut plurimum calceis caruerint, aut saltem eorum usus in dura ista servitute quotidianus iis non fuerit, nunc autem asperum iter aggressuris calceis opus fuerit. Hæc ὑπόδησις *calceatio* Israelitarum notavit, nos debere esse indutos ἑτοιμασίᾳ *promptitudine* ad intrepidam migrationem ex Ægypto mystica, & fortem perambulationem deserti ad cælestem patriam, *Eph.* VI. 15.

Landesbibliothek Oldenburg

do, hæc verba addita non sunt; propterea omnes Hebræorum Magistri, & antiqui & recentiores, uno ore docent, mandatum de *postibus sanguine tingendis*, *de calceandis pedibus*, *de succingendis lumbis*, *de manibus baculo firmandis*, *deque agno celeriusculè comedendo*, se non extendere ad generationes posteriores, sed solam eam respexisse *noctem*, quâ Ægypto cesserunt. Receptus ab Antiquis ritus fuit, quo comedentes *Pascha* considebant, aut lecto inclinabant, uti Christus ipsiusque discipuli, in signum receptæ libertatis. (19) *Talmud. Tract. de Pasch. Vid. Tremell. loc. cit.*

XXVI. Illorum, qui excipiebant convivas, duo erant: 1. *Paterfamilias*, 2. *Dominus convivii. Vid. Casaub. exercit. p.* 278. Sic autem differebant: *Paterfamilias*, sive Herus vocabatur בַּעַל הַבַּיִת οἰκοδεσπότης, *Dominus familiæ. Dominus convivii vocabatur* בַּעַל מִשְׁתֶּה, ἀρχιτρίκλινος, *Præfectus triclinii*,

(19) Hodierni Judæi egregiam adhuc habent suæ liberationis memoriam tempore *Paschatis*. Tum enim quisque illorum, etsi angustus ipsi luceat focus, se pro Barone & insigni Domino gestare debet. Ditiores sellam, quâ tergum reponere possunt, sericeis & aliis pretiosis pulvillis vestiunt, mensamque argenteis aureisque vasis onerant, ne videantur sibi-ipsis magnificentiam negare. Vide *Buxtorf. Synag. cap.* XIII. Addo; ut magis splendeat eximia ipsorum conditio, si quæ vasa pretiosa Christianis ditioribus pignori dederunt, (quibus sæpè malunt credere ea, quàm suæ genti, se enim in cute nôrunt) ea in eo festo anxiè redimere quæritant, vel in certos dies multâ obtestatione petunt, ne absentia pretiosorum vasorum videatur dominationi ipsorum detrahere.

Landesbibliothek Oldenburg

nii, nobis dictus *The Ruler*, sive *The Governour of the feast*. **Ein Schaffner / Hoff- oder Speiß-meister.** Ἀρχιτρίκλινος fuit *summus minister*, (20) ministrans *patrifamilias* in conviviis. Alii adjiciunt tertios, quos volunt fuisse *Præfectos morum*; Græcis dicuntur οἰνόπται. *Gaudentius Brixianus, vid. Casaub. ibid.* Ipsorum munus fuisse creditur attendere moribus convivarum, ne quis modestiam modumque excederet nimio mero, unde appellati sunt ὀφθαλμοὶ *oculi convivii*. Ejusmodi *Ministri* convivia moderabantur in aula Ahasveri, *Esth.* I. 8. & apud Athenienses. *Athenæus. l.* 10. Verùm num tales Judæis asseri possint, jure in medio relinquitur.

XXVII.

(20) Ex his videtur mihi solvi posse, quando vir doctissimus *Job.* XII. negat per Ἀρχιτρίκλινον intelligi posse *Gubernatorem convivii*, quia ille discernatur à διακόνοις *ministris*, sed caput convivarum intelligendum putat, cui concessa est πρωτοκλισία. Nempe, ἀρχιτρίκλινος non ex gregariis *ministris* fuit, sed aliquo modo בַּעַל *Dominus*, ita ut facilè distingui à cæteris *ministris* possit; velut apud Romanos pueri ministrabant, de quibus *Virgil. l.* 1. *Æneid.*

——— totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.

A quibus distinctus fuit alius major *minister*, quem vocabant, vel *vini Regem*, vel *potandi Magistrum*, vel *Moderatorem*, h. e. qui modum imperet. Hinc *Horatius l.* 1. *od.* 4.

Nec Regna vini sortiêre talis.

Idem Græcis dictus est Συμποσιάρχος, Βασιλεὺς, στρατηγός. Quo postremo nomine & *Plautus* usus; *strategum te facio*, ait, *huîc convivio.*

Landesbibliothek Oldenburg

XXVII. Antiqui Judæi hospitales erant, & in exceptos hospites liberales. Hospitalitatem ipsorum S. Scriptura commendat; sed quæ certè hodie apud ipsos hospes est & exulat, uti liquet ex illo trito, quod concernit exceptionem amici: quòd is sit primo die אוֹרֵחַ *viator*, hospes; secundo טוֹרֵחַ *fatigator*, onus; tertio בּוֹרֵחַ *circumcursitator*, profugus. *Buxtorf. Synag. Jud. c. 32. pag. 422.*

XXVIII. Liberalitas in eo conspicitur, (†) quòd pauperum in conviviis memores iis portiones submitterent. *Neh.* VIII. 11. *Mittite portiones cuicunque nihil est paratum.* Hoc postea invaluit & moris fuit veteribus Gentilibus, qui non tantum in solennioribus festis & conviviis præsentes liberaliter exceperunt hospites, sed & iisdem concesserunt inde quid auferre; quæ convivia propterea vocabant ἀποφόρητα. Solebant itidem μερίδας *portiones* mittere absentibus amicis. *Theophrastus c.* περὶ μεμψιμοιρίας. Idem testatur *Plut. in Agesilao.* Διέπεμπε μερίδας τοῖς φίλοις ἀπὸ τῶν τεθυμμένων. *Mittebat portiones amicis ex sacrificatis.*

XXIX. Hæc observatio lucem affundit *Canoni*

Q illi

(†) Hospitalitas certè apud nos prorsus exolevit. Gentes, Judæi & Turcæ hac in parte (quin in multis partibus) Christianos, ita dictos, in pudorem dant. Quotus quisque est, qui illud *Neb.* VIII. 11. & *Luc.* XIV. 12-14. *Hebr.* XIII. 2. observet? *Hospitalitas* nostra versa videtur, juxta primævam dictionem, in *Hostitalitatem.* Nam veteres pro *peregrino Hostis* dicebant, (quæ vox postmodum in *Hospes* mutata est,) in quem quùm moverent, pecora cædebant, quæ *Hostias* appellabant. *Vid. Voss. Etymolog.* Nam Christus etiamnum relegatur in stabulum. Non est ei locus in hospitio.

Landesbibliothek Oldenburg

illi *Laodicensis Concilii*; quo interdictum est μέρη αἴρειν *portiones ferre* Christianis in *agapis*; cujus interdicti rationes mihi tres ex præcipuis fuisse putantur: 1. Ne Christiani symbolizarent Gentilibus. 2. Ne quis, suam portionem sibi submittendam sperans, *agapas* negligeret. 3. Ne præsentes, præsertim pauperrimi, ut sæpissimè contingit, defectum paterentur, si tales portiones, omne quod optimum opimumque est, absorberent.

XXX. Tandem coronidis loco hîc notabimus; quòd, quemadmodum Judæi cœnam sub vespera & tum quidem lautissimè parârunt (*) sic prandium horâ sextâ, h. e. juxta nostram computationem, circa meridiem. *Macta* σπεὰ *altilia, & para, mecum enim comedent homines isti meridie*, Gen. XLIII.

(*) Non aberrant, quibus *Cœna* dici putatur quasi κοινὴ ob κοινωνίαν seu communionem vescentium. Ergò ipsa vox indicat, veteres *Romanos* solitos simul cibum capere, contrà quod moris erat veteribus *Græcis*, teste *Athenæo*, μονοφαγεῖν. Hinc referente Plutarcho, festivus quidam homo negabat se cœnasse, quòd solus edisset; dicebatque se edisse, non cœnasse. Sed notandum, veteribus sæpè *cœnam* dici, quod nunc *prandium* vocamus, quodque nobis cœna, illis dicebatur *vesperna*. Nec prætereundum, *cœnaculum* fuisse contignationem supremam seu superiora domûs loca (neque enim erat unicum cubiculum) ad quæ scalis adscendebatur. Hoc cœnaculum, ut ascensu difficilius & minus commodum conducebatur à pauperibus, diciturque Græcis ὑπερῶα, *solarium*, der Soller / Ober-Boden / item ἀνώγεον, q. d. ἄνω τῆς γῆς, über der Erd / item ὑπερῶον, superior ædium pars, das Ober-Hauß. Jam scis, cur Apostoli plerumque in hac ædium parte convenerint, scil. pauperiores erant. *Vid. Voss. Lib. cit. in voc. Cœna.*

Landesbibliothek Oldenburg

XLIII. 16. *Petrus adscendit* ἐπὶ τὸ δῶμα *in solarium, ut precaretur circa horam sextam, factumque est, ut esuriret, voluitque edere; parantibus autem illis* ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις *incidit in eum mentis excessus. Act.* X. 9. 10.

XXXI. Insuper prætereunda non est differentia poculorum istorum trium, quæ memorat S. Scriptura I. ποτήριον τῆς εὐλογίας *poculum benedictionis* 1. *Cor.* X. 19. respondet illis cyathis, qui adhibiti sunt in solennioribus ipsorum festis & conviviis, nomenque fert ex illa benedictione, quam affundere solebant. II. כוס תנחומים ποτήριον εἰς παράκλησιν *poculum consolationis. Jerem.* XVI. 7. Illud ita vocatur, quòd tempore luctûs amicis tradebatur, ut ipsius dulci flumine (21) mœroris luctûsque amaror ex pectore lugentium elueretur. III. כוס ישועות ποτήριον σωτηρίας *poculum salutis. Ps.* CXVI. 13. Hoc plerumque comitabatur sacrificia שלמים *pacifica* sive *eucharistica*, quæ oblata erant pro beneficiis acceptis; hinc LXX. *pacificum* plerumque σωτήριον *sacrificium salvationis* vertunt.

(21) De hoc *poculo consolationum*, lugentibus præbito, plura fortassis tradentur *lib.* 6. *c.* 5. propterea hîc supersedebimus notis.

CAP. III.

De Sabbatho.

I. VOx שַׁבָּת, à quo nostrum *SABBATH*, sonat *quietem*, tribuiturque quibusvis festis solennioribus. *Sabbatha mea profanârunt Ezech.* XX. 21. h. e. festa mea. Subinde sumitur pro *tota septimana.* Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου *Luc.* XVIII. 12. Sæpissimè pro *die septimo*, quem Deus suo cultui consecravit. (†) Hic dies sanctus erat vel sanctitate simplice, quatenus erat dies septimus, vel duplici sanctitate, quam illud festum incidens in *Sabbathum* ei addidit, & tum vocabatur *Sabbathum magnum Joh.* XIX. 31. Nam in id *Sabbathum*, de quo loquitur Johannes, isto anno incidit festum *Paschatis.*

II. Dies septimanæ dicebantur Hebræis חוֹלִים *profani*, Græcis ἐργάσιμοι, ἀνέορτοι, ἐνεργοί, *profesti* in quibus *opera manuaria* fiunt. Quando autem eos dies *profanos* uno quasi nomine insignie-

(†) Judæi propter istud sabbathum dicti fuêre gentilibus *Sabbatarii. Plutarchus* IV. *Sympos.* putavit σάββατον dici ex eo, *quòd Sabbatarii se Sabbatis soleant cibo vinoque replere, Bacchos enim à multis dici* σάββους. Hesychius sanè σαββάζειν interpretatur βακχεύειν. Sed insipientis sit à *Plutarcho* Hebraicæ vocis originem expetere. Nam vox Hebr. שַׁבָּת Græcis est ἀνάπαυσις, καπάπαυσις, *quies, cessatio.* Mero sive nudo pede Sabbata à Regibus Judææ celebrari solita, etiam *Juvenalis* auctor est. *Sat.* 6. Et Martialis memorat *Jejunia Sabbatariorum.*

Landesbibliothek Oldenburg

ſigniebant, vocabant ipſos τὸ μεταξὺ σαββάτων, vel τὸ μεταξὺ σάββατον, *tempus inter duo Sabbatha*, vel *interjectum inter Sabbathum*. Hoc fuit tempus, quo Gentes cupiverunt audire Paulum *Act.* XIII. 42. *Scalig. de emend. Temp. l. 6. p.* 261. Item *Beza in hunc loc.*

III. Ratione variantis horum dierum ſanctitatis, non ineptè *Sabbathum* confertur *Reginæ*, ſive potiùs *primariis* uxoribus, alia feſta *concubinis*, dies ἐνεργοὶ *ancillis*. (1)

IV. *Sabbathum* incipit horâ ſextâ veſpertinâ pridie. *Scalig. de emend. Temp. l.6. p.* 269. Græci id nuncupant παρεισοδὸν σαββάτου, Hebræi בִּיאַת הַשַּׁבָּת *introïtum Sabbathi*. Præparatio *Sabbathi* erat horâ tertiâ pomeridianâ, quam Hebræi vocant עֶרֶב הַשַּׁבָּת *veſperam Sabbathi*. *Joſeph. Antiq.* 16. *c.* 10.

V. Patres antiqui iſtam præparationem appellant *COENAM PURAM*. Modus loquendi tractus eſt à Gentilibus, qui religione ſuâ tenebantur in ſacrificiis, quæ ſacrabant diis deabuſque ſuis, ſolli-

(1) Judæi peculiares pro *Sabbatho* veſtes habent, quas die profano geſtare ipſis religio eſt; quia enim *Sabbathum* à magiſtris Hebræorum vocatur מַלְכָּתָא *Regina*, ob id cenſent, quod, quemadmodum in ignominiam Reginæ cederet, ſi quà eaſdem geſtares veſtes præſente Ruſticâ quas præſente Reginâ, ita ludatur *Sabbathum*, cæterarum dierum Regina, ubi regis veſtibus profanos dies honeſtent. Quòd autem *Sabbathum* ſic ſit honorandum, eliciunt ex illo *Eſ.* LVIII. 13. *honorabis illud.*

Landesbibliothek Oldenburg

ſollicitâ ſe ſanctimoniâ præparare. Quo præparationis tempore fruebantur quâdam cœnâ, quæ tum delectu ciborum, quos Gentiles aliis ſanctiores cenſuerant, tum ſacris ritibus & ceremoniis in ea uſurpatis, inſignis fuit: ſic ut ipſi ſe, durante hâc præparatione, dicerent *eſſe in caſto*, & ſuam præparationem, *cœnam puram*. In ritibus ergo Paganorum *cœna pura* appellatur cœna illis apponi ſolita, qui in *caſto* erant, quod Græci dicunt ἁγνίζειν vel προαγνίζειν, *purificare*, *præpurificare*. *Caſaub. Exerc.* 16. *p.* 662. Jam videmus rationem, cur Patres veſperam *Sabbathorum* vocârint *cœnam puram*. (†*)

VI. Euangeliſtis ea dicitur παρασκευή *apparatus Marc.* XV. 42. Differentiæ gratiâ poſſumus prius diei tempus vocare προπαρασκευήν *priorem præparationem*; nam totus dies præparatorius fuit, uti lucebit ex illis peculiaribus rebus eo die vetitis. 1. Eo die nefas fuit longiùs peregrè ire, quàm tres פַּרְסוֹת; una פַּרְסָה tantum terræ ſpatium deſcribit, quantum, ſi decies multiplicetur, ordinario unius diei itinere confici poteſt. 2. Eo die nefas

(†*) Quia in ſacris ritibus, tàm apud Gentes quàm apud Judæos, nihil magis requirebatur, quàm ut à venere abſtinerent, & caſto corpore ac animo ad ſacra accederent, hinc ἁγνεία ipſis & *Caſtus* ſeu *Caſtimonia* curæ erat. Sic *Varro*: *Et religiones & caſtus id poſſunt, ut ex periculo eripiant nos.* Inde dicebant Romani *in Caſtu* vel *in Caſto* eſſe, h. e. ſe ad ſacra caſtè præparare; item *in Caſto Cereris conſiſtere*, h. e. *Cereri operari*. *Tertullianus de Jejun.* ait: *Sed bene quòd in noſtris Xerophagiis blaſphemias ingerens, Caſto Iſidis & Cybeles eas adæquas.*

Landesbibliothek Oldenburg

nefas fuit Judicibus considere, & vitæ aut mortis sententiam inire, uti docebitur *capite de transpositione Festorum.* 3. Cunctis opificibus illicitum fuit operari, exceptis solis *Sutoribus*, *Sartoribus*, & *Legis-peritis.* *Casaub. Exerc.* 16. *p.* 474. *ex Michlol. Kimchi*; Prioribus duobus, quòd resarciant indumenta, posterioribus, quòd studio suo aliquid imbibant, ut id sequenti die explicandæ legis causâ reddant; his dimidium præparationis tempus ad operandum concessum est.

VII. Nemo præterea tam nobilis & dives sibi videtur, quamvis ei plurimi servi superant, qui præparationem *Sabbathi* suis manibus promovere dubitet; sic ut aliquando magistri ipsi olus minute concidere, domum verrere, ligna findere, ignem suscitare, &c. non erubuerint, *Buxtorf. Synag. c.* 10. *ex Talmude.*

VIII. Antiquis temporibus hanc *præparationem* significabant (2) tinnitu tubæ vel cornu, sed ho-

(2) In Terra Sancta sexies clangebat buccinâ minister synagogæ in vespera *Sabbathi.* Vid. *Maimon. tract.* הלכות שבת *cap.* 5. *sect.* 18. 19. citante Cl. *Leusdenio Phil. Hebr. Mixt. diss.* 36. *quæst.* 12. Buccinator autem eminuit ex solario celsæ domûs, in cunctis provinciis, & urbibus, & primum sonum edidit במנחה *tempore oblationis*, h. e. circa tertiam, ad quem sonum cessârunt opera agri. Ad sonum secundum cessârunt opera urbis, valvis subductis. Ad tertium accenderunt lucernas. Hic sonus edebatur, cùm Sol occasui esset proximus, propterea reliqui

dierni Judæi eam indicant per ædituum, aut alium inferiorem Synagogæ ministrum, quem vocant שְׁלִיחַ צִבּוּר *Accensum Synagogæ.*

IX. Quantum ad sanctificationem *Sabbathi*, corruptis temporibus multa Judæi de suo addiderunt præceptis Dei. *Buxtorf. Synag. ibidem.* Aliis in rebus non timuerunt sibi licentiam sumere, quam Deus non dabat. Ibi *superstitiosi*, hîc *sacrilegi* sunt.

X. I. Licentiam sibi rapuerunt. Bis mille cubiti disterminabant arcam & castra, quum proficiscerentur *Jos.* III. 4. &, ut verisimile est, eadem spatii mensura, cùm quiescerent, observata fuit. Hoc terræ spatium quidam exponunt *milliare unum*, alii *duo*; alii illud minori, alii majori cubito metiuntur, quem dicunt *decempedam*; in hoc autem omnes conveniunt, quòd hi bis mille cubiti confecerint (3) *iter Sabbathicum*; licèt nemo, nî

reliqui tres soni erant accelerandi. Jam verò Judæi per ædituum annuntiant *Sabbathum*, qui teste *Buxtorfio Synagog. c.* 15. circumit & proclamat, ut singuli à labore cessent, seque לְהִכָּנֵסֶת כַּלָּה *ad ingressum sponsæ*. h. e. ad *Sabbathum* formosæ instar sponsæ adveniens, honorificè excipiendum componant. Hoc sæpiùs observavi, istum ædituum tum circumire, & instar Romani ῥαβδούχου *lictoris* fores percutere, ἐκεχειρίαν autem proclamare nunquam audivi.

(3) Judæi disceptant inter se, num quoque Deus simul *itinera Sabbathica* in Mara, ubi unanimiter & verè statuunt

nî fallar, obſervârit rationem, cur ita dictum ſit; quam ego hanc eſſe cenſeo.

XI. Die *Sabbathi* omnes confluere oportebat ad locum publici cultûs, qui diviſus erat bis mille cubitis à proximè circumjacentibus oppidis & pagis. Inde ſequuntur quatuor poſitiones. 1. Bis mille cubitos comparativè poſſe vocari *iter Sabbathicum*. 2. Quòd illis, qui procul diviſi fuerunt ab arca, plures quàm bis mille cubiti emetiendi fuerint. 3. Quòd fas nunc ſit conferre ſe die *Sabbathi* ad loca publico cultui ſacra, etſi longiùs diſtantia. 4. Quod illicitum fuerit Judæis, exinde libertatem ſibi ſpondere eundi quo luberet, etſi prætenderent bis mille cubitorum *iter Sabbathicum* eſſe.

XII. II. Addebant præceptis Dei. 1. Deus ait: *Memento ſeptimi diei, ut ſanctifices illum*: quibus verbis Deus diem aliquem conſecravit, ut eſſet *Sabbathum*, illi autem addiderunt *SABBATHULUM*; ita enim vocârunt additamentum, quod anne-

tuunt Deum *Sabbathum* inſtituiſſe, definiverit. Ejus itineris duplex genus ponunt, *iter majus*, & *minus*. *Majus* eſt ſecundùm legem 12. milliaria, *minus* juxta δόγματα Scribarum 2000. cubiti. Horum diſcriminata ſpatia omnia oppida cinxerunt, ut incolæ ſcirent, quouſque tutò ire poſſent. Hos terminos à quovis urbis latere, ſeu ea quadrata, ſeu circularis, ſeu lunata fuerit, dimetiebantur, vocabantque תחומי שבת *limites Sabbathi*. Unde vir doctiſſimus ἄμφοδον *bivium* illud *Marc.* XI. 4. ubi fuit ligatus pullus, fuiſſe terminum *itineris Sabbathici autumat*. Integrum caput de *itineribus Sabbathicis* habet *Seldenus de J. N. & G. l. 3. c. 9.*

Landesbibliothek Oldenburg

xuerunt *Sabbatho. Hoſpin. de orig. Feſt. c. 2.* Hoc temporis additamentum duplex fuit: quidam *Sabbathum* priùs ordiebantur quam alii; quod evenit Judæis Tiberiade commorantibus; ubi ipſos, quum in valle habitarent, Sol non tam maturè adſpexit, quam alios; quidam etiam *Sabbathum* plùs produxerunt quàm alii, quod factum ab iis, qui incolebant *Zephoram* urbem, in montis ſupercilio eminentem, ſic ut diutiùs Solis luce fruerentur, quàm alia loca. Hi utrique addebant de profano ad ſacrum, ſcil. de diebus profeſtis ἀμέσως præcedentibus aut conſequentibùs. Nemo minuebat *Sabbathum*; propterea *optabat R. Joſe participare cum iis, qui Sabbathum inciperent cum Tiberienſibus, & finirent cum Zephorenſibus: Buxtorf. comment. Maſoret. c. 4. ex Muſar.*

XIII. 2. Deus inquit: *Quies, Sabbathum ſanctum Jehovæ cras* eſt, *quod cocturi eſtis, coquite, & quod elixaturi, elixate. Exod.* XVI. 23. Hoc mandatum pertinuit propriè ad tempus *Mannæ.* (4) *Jun. & Tre-*

(4) Magni viri, quia putant & defendunt, nos in N. T. per legem teneri ad σαββατείαν *ceſſationem ab operibus*, quos inter primi ſunt *Angli*, præſertim *Practici* in ſuis libellis, videntque hoc eſſe jugum, quo Chriſtiani, ſalvâ N. T. libertate, premi nequeant, malunt Judæos additamenti accuſare, quàm Chriſtianorum conſcientiam omni modo liberare. Nam ubi exſtat, illud *Coquite & elixate hodie*, tantùm pertinere ad tempus *Mannæ?* Et ratio eſt, cur mihi ſolidi nihil habere videatur. Si enim referimus τὸ *elixate* & *coquite* ad *mannam*, ea vel non potuit vel non debuit coqui *Sabbatho*, quia in agro non ſit invenienda. Atqui

Tremell. in Exod. XVI. Ratio, cur eam parare eo die ante craſtinum deberent, ibidem redditur, quòd non inventuri eſſent die *Sabbathi* in agro. Judæi hoc præceptum extenderunt ad omnia æva, & propterea parandis cibis eodem die nullam operam dabant. Hæc fortaſſis ratio eſt, cur Gentiles putârint ipſos die *Sabbathi* jejunare. *Sueton. in Auguſt. c.* 76. *De Jejun. Sabb. vide Martial. l.* 4. *epigr.* 4. Non diffitebor, quòd hæc falſa opinio orta eſſe poſſit ex illo loquendi modo; Νηστεύω δὶς σαββάτου *jejuno bis Sabbatho.*

XIV. 3. Deus ait: *Non accendetis ignem in omnibus ſedibus veſtris die Sabbathi. Exod.* XXXV. 3. Hoc præceptum ſolum ignem pro (5) operibus *Tabernaculi* tetigit, nam priùs in hoc capite fit mentio *Sabbathi*, ad ſignificandum, quòd opera *Tabernaculi* cedere debeant *Sabbatho. Vatablus in hunc locum.*

Atqui potuit tamen coqui, etſi non reperiretur in agro, domi enim erat ſervata. Si verò non debuit coqui, quæ ratio erit, ſi dicimus ob id non debuiſſe, quia in agro non fuit reperta, etſi domi condita? Ergo alia eſt ratio præcepti illius, nempe Deus interdixerat Iſraelitis omne opus, eiſque volebat ſacramentum alîus quietis ſignificativum dare, quod Sacramentum non tantùm eo tempore, ſed toto V. T. ſit duraturum, uſquedum vera *manna* Chriſtus de cœlo deſcenderit.

(5) Quomodo hæc de igne pro operibus *Tabernaculi* dici poſſint, non video: imò contrarium patet exinde, quòd prohibetur ignis accendi in ullis habitationibus Iſraelitarum. Nec in hac re videntur mihi Judæi Dei præcepto aliquid addidiſſe. Quin & ſacerdotes operibus ſuis in templo τὸ σάββατον ἐβεβήλουν profanabant. *Matth.* XII. 5.

Landesbibliothek Oldenburg

locum. Item *Trem. & Junius.* Judæi verò ex hoc concludunt, hoc die illicitum esse ullum ullibi ignem sufflare.

XV. 4. Deus ait: *Non facies opus die Sabbathi.* Hoc sine ulla (6) exceptione acceperunt Judæi. Propterea illicitum putârunt, *pomum igne torrere, olus deligere, arborem conscendere, pulicem elidere, vel venari.* (7) *Hospin. de Orig. Fest. c. de Sabbatho.*

XVI. Hinc quoque illicitum censuerunt, die *Sabbathi* vim vi repellere, quare facti sunt bis hostium

(6) Verum est Judæos ex traditione multa pro illicitis habere, quæ in se licita *Sabbatho* sunt, ut sunt *id amovere quod nocet, Judæum ex fovea vel etiam brutum extrahere, parturienti obstetricari*, &c. in aliis tamen rebus, ex quibus vitæ salus non pendet, superstitiosæ additionis argui nequeunt. Nam sub gravi capitis pœna ipsis interdictum fuit כָּל־מְלָאכָה *omne opus*, nullâ additâ exceptione. Nec hoc interdictum factum est ideo, ut vacare congregationibus possent. Si enim hoc; non præceptum fuisset, ut quiescerent à vespera in vesperam, & sic etiam noctu. Imò prodigi animarum essent, si non forent trepidi in operibus eo die, aliàs licitis.

(7) In eo stulti fuerunt Judæi, quòd nòn attenderent, *Sabbathum esse propter hominem, non hunc propter id*; & *Deum malle misericordiam, quàm sacrificium.* Propterea in eo non peccârunt, quòd timuerunt *pomum igne assare, olus deligere, arborem conscendere*, hæc enim sine damno corporis omitti poterant, sed in eo, quòd misericordes fuerunt in pediculos, pulices, canes rabidos, muscas, scorpiones, in se autem crudeles. De ejusmodi rebus, quas Judaïca superstitio anxiusque timor vel licitas vel illicitas facit, cumulum congessit ex Hebræis *Leusdenius lib. cit. diss. 33.* item *Buxtorf.*

ſtium præda. Primò ab Antiocho devicti ſunt, ex quo Matthias decrevit, licitum eſſe die *Sabbathi* ſe opponere hoſtibus; *Joſeph. lib.* 12. *c.* 8. Illud autem decretum ſtrictè ſumpſerunt, quaſi tantùm liceret tum ſe defendere, ſi oppugnarentur, non autem ullo opere, eo die, evertere arietes, cuniculos, ſi eos agerent hoſtes, &c. *Joſeph. lib.* 14. *c.* 8. Secundò facti ſunt Pompejo præda.

XVII. Proinde ad verum hujus præcepti ſenſum ſciendum eſt, quòd tria operum ſervilium genera licita fuerint. 1. *Opera charitatis.* Deus qui ipſis concedit bovem & aſinum die *Sabbathi* ducere aquatum, *Luc.* XIII. 15. ad reficiendum magis ipſorum vitam, multò magis libertatem indulget homini, pro ſe-ipſo & familia cibos parandi, (8) ut eo magis idoneus ſit ad ſacra opera. Chriſtus

Buxtorf. Synag. J. cap. 16. ubi hic de pediculis tale Judæorum dictum in medium profert: הַהוֹרֵג כִּינָּה בְּשַׁבָּת כְּהוֹרֵג גָּמָל *Is qui interficit pediculum Sabbatho, idem facit ac ſi mactaret camelum.* Hem! non hoc eſt διυλίζειν τὸν κώνωπα καὶ καταπίνειν τὴν κάμηλον *percolare culicem, & abſorbere camelum? Matth.* XXIII. 24. Hujuſmodi Judaico animo imbutos homines etiam inter noſtros quàm plurimos invenias, dierum & temporum diligentiſſimos obſervatores, ſed quibus camelos deglutire parum eſt.

(8) Deus non interdicit Judæis comedere cibos, ſed coquere: ergo conſequentia non valet. Auctor optimus hac in parte Anglizat & dies diſcernit. N. T. eſt ſtatus libertatis, & indifferentiæ. Η' καινὴ κτίσις, quam comitatur fides & amor, & ſapientia ἀδιάκριτος, *Jac.* III. 17. unicè in eo valet.

ſtus ſanavit die *Sabbathi*; quare & tum & nunc temporis licet viſitare ægrotos, remediiſque uti. 2. *Opera ceremonialia circa cultum divinum*, ut ſunt, non tantùm *mactare victimas*, *circumcidere infantes*, ſed & *perſonare buccinis & cornibus* ad conciendum populum, *Num.* X. 2. Licuit quoque populo exire ædibus ad publicum cultum. Æquali modo tutò Chriſtiani pulſant campanas, ad convocandum populum ἐν ἡμέρᾳ κυριακῇ *die Dominicâ*; tutò iter ingrediuntur, ut ſe aſſocient publico cœtui, vel Verbum Dei proponant. Hæc opera etſi naturâ ſuâ ſint corporalia, ſanctum tamen templum naturam ipſorum mutavit, ſanctificavitque. *Matth.* XXIII. 17. Aut, ſicut Judæi ajunt de occupatione Jerichuntis, quam die *Sabbathi* captam produnt ipſorum Magiſtri: מי צוה על השבת צוה לחלל שבת *qui jubet ſanctificari Sabbathum, jubet etiam profanari Sabbathum. Kimchi in Hoſ.* VI. Denique 3. *Opera abſolutæ neceſſitatis*; ut *defenſio ſui adverſus hoſtem*, & alia ejuſdem naturæ, de quibus hoc proverbium Judæorum exſtat: סכנת הנפש דוחה השבת *periculum vitæ pellit Sabbathum.* Chriſtiani, paulò mutato proverbio tritiſſimo, dicunt: *Neceſſitas non habet ferias.*

CAP.

CAP. IV.

De Paſchate & Feſto Azymorum.

I. QUidam Patrum vocem (1) Πάχα *PASCHA* derivârunt à Græco Πάχω *Patior*, quòd *Paſſionis* Chriſti memoria circa id tempus celebretur. *Tertull. adv. Jud. c.* 10. Item *Ambroſ. lib. de myſt. Paſch. cap.* 1. quam opinionem rectè infringit *Auguſtinus in titul. Pſal.* LXVIII. Nam vox ea origine Hebraïca eſt, ſignificans *tranſire*, *tranſilire*. Dei ipſius expoſitio hæc eſt: *Victima Paſchatis eſt Jehovæ*, אֲשֶׁר פָּסַח *qui tranſit domos filiorum Iſraelis. Exod.* XII. 27.

II. Vox hæc פֶּסַח *Paſcha* trifariam ſumitur in Sacris Literis; *Primò* pro annuo illo Feſto, quod celebrabatur decimo quarto menſis *Niſan*, alias *Abib.*

(1) *Nazianzenus orat. de Paſch.* ſic ait: *Cùm quidam* Πάχα *nomen eſſe putarent ſalutaris Paſſionis Domini, convertentes vocem Hebræam Græcè, Paſcha hunc diem nominârunt. Quod enim uſus recepiſſet, uſitatiorem quoque reddidit hanc vocem, veluti ſanctiori nomini aſſentientibus auribus. Druſius lib. Quæſt. & Reſp.* 4. putat vocabulum iſtud concinnatum à Græcis (ſine dubio à LXX.) ut pro Hebraïco ח ponerent X, ſicut in aliis multis, ad finem verò adjicerent ן A, ut ſolent Chaldæi & Syri in nominibus propriis, ipſamque aſpiratam ס mutarent in tenuem π. Nazianzenus in hoc fallitur, quòd derivationem iſtam tribuere magis videatur recentioribus Græcis, quàm Apoſtolis: nam jam hi vocabulum Πάχα adhibuerunt *Matth.* XXVI. 2. *Luc.* XXII. 1. 1. *Cor.* V. 7. & à LXX. mutuati ſunt, & quidem fortean eò lubentiùs, quòd iſta vox Πάχα cruentam veri *Paſchatis* paſſionem aliquomodo exprimeret.

Landesbibliothek Oldenburg

Abib. Ex Theologis quidem non pauci omnia, quæ ad decimam quartam noctem pertinent, decimæ quintæ attribunt; quem errorem hauserunt ex turbidis Rabbinorum lacunis, qui hodie eundem *errorem* errant, teste *Scalig. de emend. temp. l.* 6. *p.* 270. Potes id vocare *PASCHA AGNI*, quum eo die circa vesperam Israelitæ debuerint ratione familiarum suarum agnum assare, & in privatis ædibus comedere. *Secundò* pro illa solennitate temporis, quæ erat decimo quinto mensis *Nisan*, poteritque vocari (2) *PASCHA OVIUM ET BOUM. Deut.* XVI. 2. Aliàs dici quoque potest *Festum Paschatis*; quemadmodum decimus quartus mensis *Nisan* simpliciter *Pascha*. *Mense primo, decimo quarto ejus mensis, est Pascha Jehovæ; Et decimo quinto ejus mensis festum. Num.* XXVIII. 16. 17. Ad hoc festum Josia ingentem ovium, agnorum, hœdo-

(2) Viri doctissimi, quos veneror, *Bocharti* sententiam, quam tuetur *Hieroz. l.* 2. *c.* 50. amplectuntur, quando statuit oves & boves in festo azymorum offerri solitos vocari *Pascha Deut.* XVI. 2. 2. *Chron.* XXXV. 7. 8. 9. ut probet per *Pascha Joh.* XVIII. 28. non agnum *Paschalem*, sed boum sacrificia intelligi. Sed 1. quando priori loco dicitur: *mactabis Pascha Jehovæ Deo tuo, oves & boves*, non est necesse id sic explicare, *nempe* oves & boves; cum possint oves referri ad *Pascha*, & particula ו in וּבָקָר esse distinctiva, non copulativa; aut etiam oves simul cum bobus possunt opponi *Paschati*, & esse in priori voce צֹאן ἀσύνθετον. Secundo loco, scil. 2. *Chron.* XXXV. quando Josia & Principes dicuntur Sacerdotibus & reliquo populo dedisse *oves & boves* לַפְּסָחִים *ad Paschata*. Hîc per

Paschata

hœdorum, boumque copiam populo dedit. *Tertiò* ſumitur pro *toto feſto*, quod incipit decimo quarto menſis *Niſan*, finiturque vigeſimo primo ejuſdem menſis. Propè erat ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, ἡ λεγομένη Πάσχα *FESTUM AZYMORUM*, *quod vocatur Paſcha*, *Luc.* XXII. 1. Sic ut hoc ſignificatu quoque includatur *Feſtum azymorum*, licèt propriè loquendo *Feſtum azymorum* diſtinctum à *Feſto Paſchatis* fuerit.

R III. 1.

Paſchata intelligendi agni *Paſchales*, ad quos adjecta fuerunt convivia, quæ vocantur חֲגִיגוֹת, conſtabantque ex ſacrificiis boum. Horum conviviorum boves dedit Joſia לְפַסְחִים *ad agnos Paſchales*. Poteſt tamen & ipſum convivium חֲגִיגָה vocari *Paſcha*, quia in eo agnus *Paſchalis* edebatur. 2. Videntur mihi, *boves* illi non poſſe *Paſchata* vocari, quia in Ægypto ſolus agnus eſt mactatus, cujus ſanguine poſtes adſperſi, quique tranſitûs ſignum fuit. Quomodo ergo μετωνυμικῶς poſſent boves *Paſchata* vocari, quum non in prima inſtitutione פֶּסַח *tranſitûs* ſignum fuerint? 3. Nullibi legimus præceptum, Iſraelitas per totum feſtum azymorum debere manere Hieroſolymæ; imò decimâ quintâ rurſùs poterant redire domum, *Deut.* XVI. 7. atqui tenebantur priùs parare Jehovæ oves & boves. *Deut.* XV. 1. 2. Quando autem hi boves parabantur, niſi decimâ quartâ, & לְפַסְחִים *ad Paſchata*, ſi Iſraelitæ ſequenti mane reverterentur Hieroſolyma? Sic videmus eoſdem boves, quos viri doctiſſimi cenſent *Paſchata* dici & aliis feſti diebus oblatos eſſe, non potuiſſe niſi decimâ quartâ die offerri & ad chagigas adhiberi.

Landesbibliothek Oldenburg

III. 1. *Pascha* celebrandum erat circa vesperam decimi quarti diei mensis primi; hoc fuit secundum ipsorum (3) *Sacramentum*, in quo licèt cum agno panes azymi comederentur, festum tamen ipsum *Azymorum* demùm postridie, scil. decimo quinto mensis ejusdem, cœpit, agitatumque est per

(3) Contenditur, utrùm *Pascha* fuerit *sacrificium*, an *sacramentum*. *Sacramentum* fuisse statuit Autor, & bene; Nam, quòd *Paschatis* sanguis sæpè sparsus fuerit, & adeps adultus, patet ex 2. *Chron.* XXV. 11. Sed an hoc semper factum, dubitatur; poterat enim ipse populus *Pascha* mactare. *Exod.* XII. 6. Nullumque mandatum de eo in templo mactando exstat. Nec id asseritur ex *Deut.* XVI. 2. siquidem per locum electum Hierosolymam intelligere, promptum est; & quoque eam ibidem intelligendam esse, innuit vers. 7. ubi præcipit Israelitis, ut coquant & comedant in loco, quem elegerit Deus, atqui non in templo coxerunt vel ederunt, sed in ædibus privatis, ubi & Christus comedit. Et quòd discipuli Christi homines indocti & Laici mactârint, excoriârint, & penitùs expediverint agnum *Paschalem*, videtur doceri *Matth.* XXVI. 19. ubi dicuntur discipuli ἡτοίμασαν τὸ πάσχα apparâsse *Pascha*. Si hoc stat, sacrificium non fuit. Deinde dicitur *Pascha* in atrio fuisse mactatum, atqui omne sacrificium debuit jugulari ad latus Aquilonare altaris versùs dexteram. *Levit.* I. 11. Verum enim verò, de ejusmodi rebus, vel potius verbis, disceptare, est λογομαχεῖν. Nam omne *Sacrificium* etiam est *Sacramentum*, & Mysterium. Et ubi Deus homini quid offert, ut in *Sacramentis*, nim: bonum vel donum spirituale (cujus umbra & elementum externis sensibus sese præstat) ibi & homo fidelis Deo quid offert, nim: animam devotam, &c. Eademque *sacrificiorum* ratio est. Neque enim solus homo in iis Deo quid offert, sed & Deus, eorumdem Autor & institutor, homini carnem & sanguinem J. C. In primis quando ille carne victimæ vescitur, & sanguine victimæ conspergitur.

Landesbibliothek Oldenburg

per septem dies, quorum tantùm primo & septimo convocatio sancta (4) & quies ab omnibus operibus servilibus fuit. *Levit.* XXIII. 5-8.

IV. Et 2. *Pascha*, ætate primam ejus institutionem sequenti, nec mactari, nec comedi debebat alio in loco, quàm eo solo, quem suo nomini elegit Jehova, h. e. Hierosolymæ. Sed *festum Azymorum* censuerunt Hebræi celebrari posse quibusvis in locis suarum habitationum, si nequirent esse Hierosolymæ; propterea dicunt:

(4) *Festum Azymorum* dupliciter spectari debet quoad *qualitatem*, dum in eo fermentum remotum fuit, & comestus panis ἄζυμος *infermentatus*; & quoad *quantitatem*, dum agitatum per septem dies est, primo & ultimo sacris tum congregatione populi, tum quiete: Remotio fermenti significavit. 1. Hypocrisin esse vitandam *Luc.* XII. 2. 2. Omnem animi tumorem. 3. Falsam doctrinam, *Matth.* XVI. 6. 12. 4. Corruptam sodalitatem. 1. *Cor.* V. 6. & Tandem 5. significavit, tempora non esse mutanda, sed quando nobis Deus καινότητα πνεύματος *novum Spiritum* dedit *Rom.* VII. 6. ut simus κτίσεις καιναὶ *creaturæ novæ in Christo*, 2. *Cor.* V. 17. & abolevit τὴν παλαιότητα γράμματος *vetustatem literæ*, esse lætandum in Sp. Sancto, & convenienter novitati Spiritûs vivendum. *Septem dies* significarunt *septem periodos* N. T. de quibus jam superiùs aliquid diximus. Quòd primus & septimus dies sacri fuerunt, notavit: post Christi mortem, sub prima tuba prædicandum esse Euangelium libertatis, ad convocandum Israëlem & gentes in unum, & rursùs sub tuba septima, sonum Euangelii buccinandum esse in toto habitabili, ad cogendas oves errantes Israëlis indurati, & obtenebratarum gentium oves in Ecclesiæ stabulum, ut sacrificent Deo sacrificia laudis, & nutum pedi, vocemque boni Pastoris, revereantur. *Joh.* X. 27.

Landesbibliothek Oldenburg

לא תלוי אכילתו בקרבן הפסח אלא זו מצוה בעצמותה. *Non pendet comestio illius ex Paschatis oblatione, sed est peculiare præceptum suâpte naturâ. Maimon. de fermento & azymo c. 6. sect. 1.*

V. *Ritus* & *ceremoniæ* usurpatæ à Judæis in comestione *Paschalis* agni correspondent cum *ceremoniis* generalibus, quibus solennioribus in festis utebantur. Benedicunt calicem, & benedicunt panem, distribuuntque convivis ac lavant pedes accumbentium, uti diximus *cap. de Conviviis.*

VI. Res singulares, quibus differt ab aliis festis, produntur in quæstionibus, quæ à filiorum quodam, catechizationis modo, proponuntur tempore comedendi *Paschatis*: sive potiùs in responsionibus ejus, qui benedictionem super mensa dicit, quas regerit roganti puero. Quæstio erat: quid *notat hîc cultus?* modus responsionis ita habuit: *quomodo differt hæc nox à cunctis aliis? Scalig. de emend. Temp. l. 5. p. 270. Nam aliis noctibus semel lavamus, hâc nocte bis*: (sic Christus finitâ (5) cœnâ lavit suorum discipulorum pedes) *aliis noctibus aut vescimur fermentato aut azymo pane, hâc solo azymo: aliis noctibus vescimur vario herbarum genere, hâc solis amaris: aliis noctibus vescimur & bibimus vel se-*

(5) Hæc excussa sunt *cap. de Festis. not. 5.* Christus enim surrexit ex mensa, seu ex lecto, in quem se rejecerat quietis capiendæ gratiâ (veniebat enim rure) dum interea omnia ad convivium parantur apponunturque. Atque ita non finitâ sed inchoatâ cœnâ, seu δείπνου γενομένου lavit discipulorum pedes, cœpitque proditorem è latibulo protrahere, & facere manifestum.

Landesbibliothek Oldenburg

ſedentes, *vel accumbentes*, *hâc tantùm accumbentes & in longum extenſi.* Tum pergit explicare, quòd *Paſcha* ſit propterea, quia Deus *præterierit domos patrum ſuorum in Ægypto.* Deinde ſuſtollit herbas amaras manu, aitque: *His amaris herbis veſcimur, quia Ægyptii patribus noſtris in Ægypto vitam reddiderunt amaram.* Tertiò, manu allevat panem azymum, additque: *hic panis azymus, quo veſcimur, notat, quòd maſſa patrum noſtrorum anguſtiâ temporis non potuerit fermentari, cùm Dominus ipſis appareret, & ab hoſtibus liberaret.* Hanc catechizandi rationem ajunt præceptam *Exod.* XII. 26. vocantque eam הַגָּדָה שֶׁל פֶּסַח *annuntiationem* ſeu *enarrationem Paſchatis.* Hinc ſuum loquendi modum mutuatur Apoſtolus: *Quoties editis hunc panem, & bibitis hoc poculum*, τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε. 1. *Cor.* XI. 26.

VII. Quantum ad hunc *agnum*, hocce de eo præceptum habebant: *Decimo die menſis Abib quisque ſibi accipiet agnum, pro domo paterna, integrum, maſculum, anniculum; eritque apud vos in cuſtodia, uſque ad diem decimum quartum ejus menſis Exod.* XII. 3.

VIII. *Paſchalis* pecus, vel *agnus*, vel *hœdus*, pro quavis domo aſſumebatur. Totum Iſraelitarum corpus diviſum erat in duodecim tribus, tribus in familias, familiæ in domus. Si quæ domus non ſufficiebat abſumendo agno, tum proximus vicinus ſe adjunxit, ut (6) comederet. Tota

(6) Cùm ferè omnes circumſtantiæ in tanto myſterio conſiderationem mereantur, & aliquid ſignificent, non præ-

communitas vocabatur φεστεία. Ejusdem sensus fuêre apud *Marcum cap.* VI. 40. 41. συμπόσια, & πρασιαί. Hæ voces omnes notant *communitatem sodalitatemque convivarum, quot eidem mensæ accumbere possunt.* Ultimum vocabulum propriè significat *toros & areolas hortorum*; & sic videtur in Euangelio tota multitudo considens in gramine comparari horto, & singulæ sodalitates totidem areolis horti. Numerus accumbentium in *communitate Paschali* infra decem non descendit, nec supra viginti adscendit. *Joseph. de Bell. Jud. lib. 7. cap.* 17.

IX. Commendatur in Lege *agnus masculus*, ad significandum vividum robur & vires (7) Salvatoris nostri, cujus typus fuit.

X. *Anni-*

prætereundum est, quid φεστεία *communitas* illa significârit. Nempe significavit quatuor. 1. Christum esse non unius gentis cibum, sed plurimarum, quemadmodum plures familiæ de uno *Paschate* participare poterant. 2. In N. T. fratrem fratrem esse invitaturum, ad gustandum καλὸν Θεοῦ ῥῆμα *bonum Dei verbum*, & dulcem cibum Jesum. 3. Filios Dei debere inter se fovere communionem, præprimis in spiritualibus & cœlesti ambrosia. 4. Christum non posse dividi, & aliis dona spiritualia transmitti, uti Papa transmittit Spiritum Sanctum; sed si quis eorum velit esse particeps, debere se conferre ad veram Ecclesiam, in qua Christus caput est; adeoque se jungere huic verâ fide, & isti amore.

(7) Christus apertè vocatur *vir* גֶּבֶר *Jer.* XXXI. 22. ἄρρην *masculus Apoc.* XII, 5. quâ re, ut rectè Autor annotat, significabantur potentia & masculæ vires Salvatoris nostri ad superandum mundum, ac vinciendumque τὸν ἰσχυρὸν τὸν καθωπλισμένον. *Luc.* XI. 21.

Landesbibliothek Oldenburg

X. *Anniculus*, (8) Hebr. בֶּן שָׁנָה *filius anni.* Sunt qui diſtinguunt inter *filium anni*, & *filium anni ſui*: *filium anni* interpretantur, qui *annum unum* agit, nec minor, nec major eſt; *filium* verò *anni ſui*, qui eſt in *anno primo*, licèt eum nondum abſolverit. Sed *Aben Eſra* negat abſque *Kabbala* poſſe ſciri, quis ſit *filius anni ſui*, nam fieri poteſt inquit, ut ſit ו additiitium, ſive paragogicum, quale frequens eſt. *Anniculus*; illud exponunt ſic, quòd agnus, qui octo & plures dies habet, idoneus ad *Paſcha* fuerit, non tamen ſi pauciores, quia dicatur *Lev.* XXII. 27. *Bos, aut agnus, aut capra, quum nata fuerit, fueritque dies ſeptem ſub matre ſua, deinde à die octavo & ultra, accepta erit in oblationem igne abſumendam Jehovæ.* Rationem hujus præcepti Hebræorum quidam eſſe putârunt, quòd nihil in mundo abſolutè perfectum ſit, uſquedum Sabbathum transîerit. *Vid. Munſter. ad Lev.* XXII. præterea, ſi horâ unâ ille agnus ſuperârat annum, reprobatus fuit, quia dicitur: *maſculus, anniculus.*

(8) Nec hoc myſterio caruit. Agnus *Paſchalis* anniculus fuit, h. e. non ſuperior anno, ad ſignificandum tria: 1. Chriſtum inſtar anniculi fore ipſum verâ fide paſtis cibum ſapidiſſimum. 2. Chriſti affectus fore tenerrimos, ut facilè tum impiorum exitium, tum ſuorum lapſus illacrymantibus oculis lugere poſſit. 3. Chriſtum non diu in medio hominum ambulaturum eſſe, ſed ipſo ætatis flore tollendum.

Landesbibliothek Oldenburg

XI. תָּמִים *Perfectus*, *integer* debebat esse, tam ad commonendos Israelitas (†) de propria integritate & sinceritate, quàm ad denotandam absolutam illius perfectionem, qui revera fuit ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ *agnus Dei*.

XII. *Asservatusque fuit usque ad decimum quartum* (9) *ejusdem mensis*. Rabbini hujus custodiæ quatuor rationes dant. *Hospin. de Orig. Fest. cap.* 5. Quòd 1. aliàs potuissent negligere agnum *Paschalem*,

(†) Rectè autor hic docere videtur, Agnum paschalem etiam Ecclesiæ figuram esse, & interioris novique nostri hominis. Hoc enim ubivis tenendum, Christum & membra esse *Unum* nec quicquam de *Isto* dici, quod *his* non competat certo modo & inferiore sensu. 1. Agni sunt Dei. 2. Separantur à multitudine. 3. Habent vires masculas & spiritum הַגְּבוּרָה τῆς ἀνδρείας *fortitudinis*. 4. Sunt sinceri & integri. 5. Cruci & furcæ affiguntur. 6. Torrefiunt amore. 7. Sed assa & medulla, vires interioris hominis, illæsa manent. &c.

(9) Hæc agni per quatriduum segregatio significavit. 1. Christum esse ἀφωρισμένον tum à peccatis, tum æterna Patris prædestinatione, ut fieret *Pascha* pro hominibus. 2. Christum fratrem nostrum, apud parentes suos acturum, donec quarto ante mortem anno, nempè trigesimo ætatis, publicum docendi munus aggressurus, & trigesimo quarto anno mactandus sit, sic ut dies pro anno habeatur. Vir quidam doctus observat optimè; Christum illâ ipsâ die Hierosolymam ad festum & *Pascha* suum συνεώσμον venisse, quâ Deus agnum in Ægypto seponi jusserat, nempè decimâ mensis *Nisan*. Etenim sex ante *Pascha* diebus venit in Bethaniam *Joh.* XII. 1. id est, die nono mensis *Nisan*; postero verò die profectus est Hierosolymam vers. 12. ut offerendum se sisteret Deo.

Landesbibliothek Oldenburg

lem, ob præcipitem emigrationem & negotiorum molem tempore discessûs. 2. Ut intra quatuor istorum dierum spatium eò meliùs explorare possent & cognoscere perfectionem agni. 3. Ut, cum per tantum tempus suis oculis lustrarent agnum, eò meliorem occasionem & incitamentum haberent, tum descendendi in considerationem misericordiæ Dei, eripientis eos ex ergastulo Ægypti, tum catechizandi instituendique filios ea in parte; ob quam rationem receptus Judaïs mos fuit, ut agnum per hos quatuor dies lectorum fulcris alligarent. 4. Ut hoc præparationis tempore se possent expedire & omnia parare ad mactandum eum.

XIII. Tempus, quo agnus mactari debuit, erat *vespera Exod.* XII. 6. Sive, ut in Textu Originali legitur, בֵּין הָעַרְבַּיִם (10) *Inter duas vesperas.*

 Theo-

(10) Notum est sacros dies incepisse à vespera *Levit.* XXIII. 32. Ita quando dicitur agnus mactatus inter duas vesperas, idem est ac si diceretur inter duos dies, quos vesperæ inchoant, eum qui jam præcessit, & eum qui jam sequitur. Propterea Talmudici pro בֵּין הָעַרְבַּיִם *inter duas vesperas* dicunt בֵּין הַשְּׁמָשׁוֹת *inter Soles*, sine dubio, Solem matutinum, qui antecessit, & matutinum, qui proximus est. Quo denotatur, quòd verum *Pascha* Christus medius venerit inter V. & N. T. tanquam inter duos dies, quos ipse, utpote Sol justitiæ, illustravit. Aut, si mavis, V. & N. T. inter quæ venit Christus, fuerunt duæ vesperæ, in quibus multum ignorantiæ & tristitiæ est respectu statûs gloriosi, qui merus dies erit. Alii per

Theologi hic movent quæstionem, quænam pars diei per hanc locutionem intelligatur? Quidam distinguunt duas vesperas ita: quòd fuerit *vespera Solis*, scil. cùm corpus Solare occidit, & *vespera luminis*, cùm radii Solares & splendor terram deseruêre; Tempus, sive τὸ μεταξύ *interim*, inter has duas vesperas, est tertia pars horæ, quo interstitio ajunt jugulatum *Pascha*. *Aben Esra Exod.* XII. Alii dant laxius temporis intervallum, ajuntque, quòd sit *vespera declinationis* & *vespera occasûs*. Putant illi *Pascha* mactatum esse tempore eo, quod intercurrit meridiem & noctem. *R. David in Radic.* Hoc etiam colligi potest *ex Pirke Aboth. c.5.*

XIV. Hæc postrema responsio videatur magis consentanea veritati. 1. Quia per eam locutionem debemus intelligere tempus longiusculum, quo non tantùm *Pascha* mactandum, sed etiam sacrificium juge offerendum fuit. *Num.* XXVIII. 4. Hoc ergo potuit (11) offerri primâ pomeridiani temporis

per istas vesperas intelligunt consummationem seculorum, h. e. tempus N. T. sub quo mundus ad occasum vergit, & tempus novissimum figurari. Certum est, illud tempus interjectum inter istas vesperas ostendere ipsam horam crucifixionis Jesu.

(11) Talmudici putant cum Autore, duas vesperas esse tempus pomeridanum, sic ut prima vespera incipiat horâ sextâ Judæorum, h. e. meridie, quo Sol vergit ad occasum, & spargit umbras orientem versùs, adeoque prima ad occasum declinatio Solis, sit, vespera prima, occasus verò ipse vespera secunda. Jam cùm juge sacrificium fuerit mactandum בין הערבים *inter duas vesperas*, & illæ

vesperæ,

temporis parte. Modum oblationis hoc tempore deſcribit *Talmud. tract. de Paſchate cap. in initio*, qui juxta noſtrarum horarum numerum ita habet: Sacrificium juge veſpertinum plerumque mactabatur inter ſecundam & tertiam, offerebatur autem inter tertiam & quartam; veſperâ *Paſchatis* mactabatur inter primam & ſecundam,

(12)

veſperæ, ſeu tempus pomeridianum, contineant ſex horas *Job.* XI. 9. Judæi concluſerunt in medio harum ſex horarum mactandum & offerendum eſſe, ita ut mactationi & oblationi impenderetur una hora, nempe quæ fluit à ſemi-tertia ad ſemi-quartam, antecederent autem horæ duæ & dimidia; ſubſequerentur totidem. Verùm, etſi tempus, intercurrens duas veſperas, juſtè ſervetur, hâc tamen opinione non benè ſtatuuntur veſperæ; neque enim meridies ullo modo dici poteſt veſpera, poteſt tamen tempus pomeridianum ipſum, quia Sol eo vergit ad occaſum vid. *Deut.* XVI. 6. una quidẽ veſpera, ſed non duæ, vocari. Veſpera ergo prima eſt veſpera prioris diei, veſpera altera, poſterioris, τὸ μεταξύ, *intermedium tempus*, ſeu *inter duas veſperas*, eſt tempus antecedens veſperam ſecundam, h. e. tempus pomeridianum. Sacri dies à veſpera ordiuntur; ſic ergo fluunt tempora; Veſpera, nox, mane, meridies, inter duas veſperas, veſpera. Dices, ergo etiam potuit *Paſcha* aut juge ſacrificium mactari nocte, quia ea etiam eſſet hâc ratione inter duas veſperas? Reſp. Nox vel mane hâc phraſiologiâ inter duas veſperas intelligi non poſſunt, quia habent ſuum nomen, & dictum alioquin eſſet; mactabunt illum omnis cœtus Iſrael nocte. *Exod.* XII. 6. Quoniam autem tempus pomeridianum ſingulare nomen non habet, per περίφραστιν vocatum eſt illud, בֵּין הָעַרְבַּיִם.

(12) offerebaturque ſemi-tertiâ. Quod ſi veſpera *Paſchatis* incideret in veſperam *Sabbathi*, juge ſacrificium veſpertinum mactabatur inter duodecimam & primam, & offerebatur (13) mediâ ad ſecundam, & poſtea *Paſcha*. 2. Hoc convenit cum immolatione veri *Paſchalis* agni, nam ſicut tempus crucifixionis cœpit horâ tertiâ diei cum ſacrificio jugi matutino *Marc.* XV. 25. ita id finitum eſt horâ nonâ vſ. 34. cùm ſoleret offerri ſacrificium juge veſpertinum, & in veſperis *Paſchatis*, ipſum *Paſcha*.

XV. Præterea agnus debebat comedi *cum herbis amaris*. (14) Ratio hujus præcepti eſt, ut eo admo-

(12) *Paſcha* nunquam offerebant ante juge ſacrificium, ſed debebat illud ſequi, quia ſacrum ordinarium præferendum eſt accidentario: poterat autem ante illud mactari, ita tamen ut ſanguis ejus benè mixtus & motus fuerit, nec condenſaretur, uſquedum ſparſus ſit ſanguis ſacrificii jugis, & ſic poſtmodum ipſe quoque ſpargatur.

(13) Jam dictum eſt *cap. de Sabb.* quando inceperit *Sabbathum*. Judæi ergo, ne opus aſſationis agni *Paſchalis*, qui poſt juge ſacrificium mactabatur, contingeret introïtum *Sabbathi*, juge ſacrificium anticipârunt horis duabus.

(14) Hæc non tantùm 1. ſignificârunt παθήματα *perpeſſiones* Iſraelitarum in Ægypto, ſed inſuper Chriſti ἀμνοῦ paſſiones inſigni amarore fore acerbandas. 2. Illos, qui velint eſſe participes carnis agni, debere quoque eſſe participes ejus παθημάτων *paſſionum*. *Rom.* VIII. 17. *Phil.* III. 10. I. 29. 3. Eos, qui veſcuntur carne Chriſti, & juvantur ipſius morte, & uniuntur cum eo, debere ὑπωπιάζειν *ſugillare* ſuum corpus, non indulgendo ei quæ ſunt jucunda &

admonerentur agere Deo gratias pro liberatione ex servitute Ægyptiaca, quæ ipsorum vitam amaram reddidit. *Exod.* I. 14.

XVI. Has *amaras herbas* intingebant *pulmento* sinapi instar crassiusculo, quod vocabant חֲרוֹסֶת, dicuntque hoc *pulmentum* esse signum *luti*, in quo laborârunt patres in Ægypto. (15) *Moses Kotsens fol.* 118. Hoc pulmentum putant quidam esse, in quo Christus ἐνέβαψε τὸ ψωμίον *intinxit offulam*, quam Judæ dedit. *Scalig. de emend. temp. l.* 6. *p.* 272. De hoc crassiusculo jure ita scribunt Hebræi. *Maimon. de serm. cap. sect.* 7. *Solebant panem azymum intingere pulmento* Charoseth, *& tum vesci; deinde immittebant herbas amaras in* Charoseth, *vescebanturque iis.* Conficiebatur è foliis palmarum vel ficubus

& dulcia. 1. *Cor.* IX. 27. Denique 4. eos, qui jam habent κοινωνίαν τῶν παθημάτων αὐτοῦ *communionem passionum ipsius*, non debere tantum συμπάσχειν *compati*, sed etiam ὑπομένειν *tolerare* seu *sub* cruce *manere*, 2. *Tim.* II. 12. & quasi cum appetitu, & cum χαρᾷ *gaudio* devorare res molestas & amaras *Act.* V. 41.

(15) Splenem movet, & simul lacrymas hodiernorum Judæorum ludicra *Pascha* edendi ceremonia, quam refert *Buxtorf. Synag. J. cap.* 4. *Apponitur*, inquit, *patina cum pulmento è pomis, pyris, nucibus, amygdalis, malis citreis, & ejusmodi rebus confecto; cui vinum immiscent, & incoquunt, & eâ ratione præparant, ut luti speciem præse ferat, multis additis aromatibus, imprimis verò cinnamomum crassè contusum superinjiciunt, ut paleam & laterem referat, & hoc pacto in memoriam sibi revocent maiores suos in Ægypto paleâ & luto laborâsse, latereſque confecisse.*

Landesbibliothek Oldenburg

ficubus aridis & paſſis uvis, quæ ſingula contundebant, affuſoque aceto, inſtar luti commiſcebant, menſæque *Paſchali* nocte apponebant. *Maimon. in* חמץ ומצה *c.* 7. *Sect.* 11.

XVII. Septem dies decimum quartum *Niſan*, ſequentes, propriè loquendo, peculiare feſtum conſtituebant, uti ſuperiùs dictum; nempè *feſtum azymorum*, quòd hoc tempore non debebat panis fermentatus in ipſorum ædibus reperiri. Hujus ritûs veſtigia quædam ſunt obſervata in Romanorum Flamine Diali. *A. Gell. noct. Attic. l.* 10. *c.* 15.

XVIII. Gradus præparationis ad feſtum quatuor erant. *Buxtorf. Synag. J. c.* 12. 1. *Expurgatio fermenti*, (†) quando omnem ſuam ſuppellectilem & vaſa, quibus fermentum adhærere poſſit, emundant; & hoc agunt duobus vel tribus diebus ante *Paſcha*. 2. *Inquiſitio fermenti*, quando fermentatum panem

(†) Superiùs *notâ* 4. in genere diximus quid fermentum & expurgatio fermenti notârit; hîc lubet addere quid ſit ἡ παλαιότης γράμματος *vetuſtas Literæ*, quam illud præfiguravit. Γράμμα eſt oppoſitum τῷ πνεύματι, ſignificatque omne externum illud, quod eſt in Religione, quo animus tanquam *Umbrâ* delectatur, occupaturque & de ipſo *Corpore* ſeu *veritate* & *Regno* Dei, quæ intrà ſunt, detinetur. Γράμμα autem illud poteſt eſſe Lex, ſcriptura, circumciſio, Sacramentum, templum exterius, & omne illud, quo nititur *Vetus homo*, & in cujus opere operato gloriatur. Omne illud non vivificat, nec juſtificat, nec valet coram Deo, ſed is qui eſt *finis Legis*, &c. *Novus homo*, & *Nova creatura*.

Landesbibliothek Oldenburg

panem inquirunt per omnes domûs angulos & murium ſcrobeculas: hæc inquiſitio fit accensâ cereâ, & teſte *Buxtorfio* ipsâ nocte ante *Paſcha.* Scaliger id refert aliis verbis, nempè quòd hæc inquiſitio inſtituta fuerit; *ineunte quartâ decimâ uſque ad quartam horam poſt ortum Solis. De emend. temp. in proleg.* Initium autem decimæ quartæ diei erat nox antecedens, nam Judæi ſacros dies à veſpera ad veſperam computant. 3. *Exterminatio* ſeu *conflagratio fermenti*, quæ facta à quarta ad ſextam horam, circa meridiem, quo tempore ſequebatur ultimus gradus, quem *Scaliger* prætermiſit, nempè 4. *Execratio fermenti*, quæ ita ſonat: *omne fermentum, quod penes me eſt, quod neque vidi, neque removi, diſpergatur, & pro terræ pulvere reputetur. Buxtorf. Synag. J. c. 12.*

XIX. Si quis iis ſeptem diebus veſcatur pane fermentato, pœna eſt, *animæ exciſio ex Iſrahele. Exod.* XII. 15. Quæ pœna ab Interpretibus tripliciter exponitur. Vid. *P. Fag. in Exod.* XII. Quidam per eam intelligunt, quòd talis ejiciendus ſit *ex hæreditate cœleſti*; alii quòd Deus talem ſit *exciſurus è vita, morte ſubitaneâ*, alii, quòd talis *abſque liberis ſit deceſſurus*, nulla ſui pignora relinquens. Huc facit ipſorum Proverbium: *Vir ſine filiis eſt ſine vita. P. Fag. l. c.* Harum trium expoſitionum (16) prima hoc loco veriſimillima eſt,

(16) Quum hæc pœna non poterat alios concernere, quàm eos, qui attigerant annos diſcretionis & ſcientiæ, & tales homines videbantur ex animi ſui ſententiâ ambulare

est, licèt alia Scripturæ loca secundam quoque admittant, ut dicetur *cap. de circumcisione.* Interim judicet æquus Lector, annon hæc verba inferant, præter occultum Dei in ejusmodi transgressoris animam judicium, institutionem Ecclesiæ, quo pacto ea ejusmodi peccatores excommunicatione coërcere queat; quod pœnæ genus Sacra Scriptura aliàs vocat ἀποσυνάγωγον ποιεῖσθαι *ejici ex Synagoga. Joh.* XVI. 2. Quæ locutio convenit huic, *exscindi ex Israele.*

XX.

lare & contemnere consilium Dei, & spreto signo, spernere quoque signatum, h. e. Ecclesiam N. T. multis donis inebriatam, & levatam siti priori, expurgatamque ab omni παλαιότητι *vetustate* & ζύμῃ *fermento. Deut.* XXIX. 16-21. Non poterat alia ipsos manere pœna, quam כָּרֵת *excommunicatio*, *exterminium* ex consortio Sanctorum & futuro seculo. Plura de hac excisione dicentur cap. alleg. Videantur *Sixt. Amam. Antibarb. Bibl. l. 3. & L' Empereur in notis ad Bertram. de Rep. Hebr. l. 1. c. 2. Otto Lex. Rabb. Phil. p.* 121. Credibile tamen est, quòd & simul per eam excisionem intelligatur repentina mors vitaque brevior, quam secuta est exterminatio ex beatissimo Dei conspectu. Sic Israelitarum plurima pars in eremo utroq; modo excisi sunt ex terra viventium & ex cœlo beatorum. Hinc & in V. T. longæva vitæ singularis erat promissio, quæ ut plurimùm in N. T. cessat, cuique annexa erat alia, nempe de æterna vita promissio, quam clariùs & sæpiùs nunc in N. T. Deus nobis reliquit. Sexagesimum igitur plerumque annum Judæi observabant; qui infra eum decedebat & quidem sine liberis, hâc pœnâ excisus; qui verò superabat sexagesimum vitæ annum, ex singulari eum benedictione obtinuisse credebatur; proindeque, qui illum attingebant annum, convivium eucharisticum solebant instituere.

Landesbibliothek Oldenburg

XX. Hic tria quæri poſſunt. 1. Quis mactârit *Paſcha*? 2. Ubi mactatum? 3. Ubi comeſtum ſit? 1. Mactatum eſt à *Sacerdotibus* (17) 2. *Chron.* XXXV. 6. 2. Mactabatur primis temporibus *in atrio templi*, loco, quem Deus elegerat. (18) *Deut.* XVI. 6. Dominus agni accepit à Sacerdote, & comedit in privata domo. Chriſtus cum ſuis Diſcipulis *Paſcha* celebravit in cœnaculo Hieroſolymæ. Vid. *Maimon. in Korban. Peſach. c.* 1. *ſect.* 6.

XXI. Ulteriùs quæri poſſet, num *Paſcha* celebratum fuerit duabus cœnis, alterâ alteram immediatè inſequente? Quidam hoc affirmant, hiſque rationibus. 1. Quia Chriſtus accubuerit, *Paſcha* autem comeſtum ſit ſtando. Hoc autem omnium infirmiſſimum argumentum eſt; nam Chriſtus æquè accubuit, cùm veſceretur *Paſchate*, ac cùm inſtitueret Sacramentum. Judæi in

S gene-

(17) Hoc *cap. not.* 3. dixi, nos poſſe ex loco *Matth.* XXVI. 19. & *Marc.* XIV. 13. conjicere, ipſos Chriſti Diſcipulos mactâſſe ovem *Paſchalem*. Et inſuper res plana eſt; non ſolos Sacerdotes mactâſſe, ſed famulos ditiorum & tenuiores Iſraelitas hujus Sacramenti miniſtros fuiſſe. Videatur *Lightfootus Matth.* XVI. 19. qui locum adducit, ubi dicitur: *Iſraelita mactat, & ſanguinem recipit Sacerdos, & proximè adſtitenti dat, & ille proximo, qui phialam plenam* (ſanguine ſcilicet *Paſchatis*) *recipiens, vacuam ei dat.* Videtur quoque locus *Exod.* XII. 6. velle, Iſraelitarum quemvis poſſe mactare & adminiſtrare agnum; imò *Levit.* 1. 3-5. quivis plebejus holocauſtum ſuum jugulare poterat, cur ergo non agnum *Paſchalem*?

(18) An *Paſcha* ſemper in atrio templi jugulatum ſit, ſuperiùs diſquiſivimus.

genere, post primam institutionem *Paschatis*, malunt id accumbendo comedere, quàm stando, ad significandum suam quietem & libertatem, ut patet ex *cap. de Conviviis.* 2. Quia *Pascha* solitum fuerit assari, cùm in ultimo *Paschate*, quod celebravit noster Jesus, fuerit jus, quo intingebatur panis, & cum quo edebatur *Paschalis* agnus, neque nefas fuerit, ordinariam cœnam ejusdem comestioni adjungere, quæ jus admittere potuit. Sed, uti superiùs demonstratum est, materia, quâ intincta est illa offula, putatur esse *pulmentum* חֲרוֹסֶת. 3. Urgent *Joh.* XIII. 2. peractam jam fuisse cœnam primam, cùm Christus surgens suorum Discipulorum pedes lavaret, postmodum autem Judæ datam esse offulam, eâque re ostendi accubitum secundum. Sic *Lucam* quoque referre, Christum suis Discipulis μετὰ τὸ δειπνῆσαι, *post cœnam* & consecrationem Sacramenti dixisse, quòd unus ipsorum ipsum proditurus esset.

XXII. Hoc validissimum argumentum illorum est, non tamen sufficientis roboris; quia Sacræ Scripturæ frequens & familiaris est (19) παράληψις, quâ illud prius recensetur, quod ratione

(19) Superiùs diximus ad agnum *Paschalem* adjectum fuisse convivium, quod Hebræi vocant חַגִּיגָה *festum*, constititque ex sacrificiis pacificis boum & ovium, ut, si φεστεία *communitas* aliqua esset frequens, non deficeret cibis, sed vesci posset ad saturitatem. In hoc convivio חַגִּיגָה, quod immediatè cohæsit cum comestione agni *Paschalis*,

ne historiæ posterius est. Sic *Joh.* XI. refertur Maria, quòd unxerit Jesum, etsi illius unctionis demùm sequatur historia proximo capite. Eamdem quoque de Proditore historiam *Matthæus* & *Marcus* anteponunt consecrationi Sacramenti. Hinc Judæis proverbium est, אין מוקדם ומאוחר בתורה *non est prius aut posterius in Scriptura. Salom. Jarchi in Gen.* VI. 3. His datis responsionibus videmus, quàm dilutum sit statuere, homines decem (sæpè enim tot, non plures fuêre,) cœnam secundam esse inituros, ubi jam absumserint *agnum anni sui*, h. e. anniculum.

XXIII. Constat etiam ex historia Barrabæ, fuisse receptum morem, dimittendi captivum quemdam tempore *Paschatis*. Quantum ad hujus dimissionis rationes, triplex exstat opinio. (20) Quidam putant, hunc morem sacrum fuisse me-

Paschalis, institutum est δεῖπνον κυριακόν *cœna Dominica*, adeoque non fingi debent, ut rectè Autor eludit, duæ cœnæ. Nec opus est, ut ad tertium contrariæ sententiæ argumentum respondeatur, *Joh.* XIII. 2. esse πρόληψιν. Nam superiùs quoque jam assertum est, phrasin istam, δείπνου γενομένου &c. non necesse esse nec debere transferri, *peractâ cœnâ*, cùm commodiùs verti possit, *initâ cœnâ*, bey verfertigtem Abend-Essen.

(20) Alii putant, fuisse morem Romanorum, *Lectisternii tempore demi vinctis vincula*, *Liv.* I. 5. *c.* 13. quem deinde religione quâdam observârint Imperatores, Judæisque indulserint, ut κατὰ τὴν ἑορτὴν *festo Paschatis* aliquem vinctorum vinculis solverent. Vid. *Vossii Harm. Euang. l.* 2. *c.* 5.

moriæ *Jonathanis*, filii *Saulis*, quem populus liberavit patris manibus. Alii censent, quemdam dimissum, ut festum eò majori lætitiâ & plausu agitaretur. Alii verisimilius esse dicunt, id factum, ad vocandum in memoriam servitutem liberationemque Ægyptiacam.

XXIV. Rursùs hîc notandum, quòd Judæi, loquentes de *Paschate*, loquantur subinde juxta computationem civilem, quâ metiebantur dies ab ortu Solis ad ortum Solis; subinde juxta computationem sacram, quæ ibat ab occasu Solis. Hoc inservit conciliando loco *Num.* XXVIII. 16. ubi decimus quartus primi mensis videtur poni pro primo die azymorum.

XXV.

l.2. c.5. Certè non videtur alia ratio esse posse, quàm mos Romanus; non enim credi potest, Judæos reum quemdam capitis, ut φονέα *homicidam* &c. unquam liberare voluisse, quum tales transgressores nec à Synedrio, nec à Rege à morte defendi potuerint, sed χωρὶς οἰκτιρμῶν *sine commiseratione* ad supplicium rapi debuerint. *Heb.* X. 28. Quid ergo dicendum de hoc facto, quòd Judæi vincula demi Barrabæ petierint? Putem ego, Judæos avidè hanc Romanorum Imperatorum gratiam, de solvendo aliquo reo circa *Pascha*, & ambabus ulnis accepisse, non ideo, ut vellent eos solvere, quos lex capitis damnat, sed eos, quos aut sævitia Præsidum immeritò, aut libertas linguæ, aut factio contra Imperium Romanum, quod cane pejus aversabantur, in vincula conjecisset: Judæos autem postea non tam ex more, quàm ex odio Jesu, ne is solvi posset, si alius jam esset liberatus, petiisse liberandum latronem *Barrabam*. In ejusmodi meis conjecturis facilè me Doctorum judicio subjicio. Jam occurrit, quòd *Ursinus Anal. Sacr. l. 1. cap. 41. Grotii* opinionem de lectisternio prosternat.

Landesbibliothek Oldenburg

XXV. *Joſephus Antiq. lib. 2. cap. 5.* prodit, quòd huic feſto octo dies tribuerint. Sic Diſcipuli dicuntur ad Chriſtum acceſſiſſe *primo die azymorum*, dicentes; Πᾶ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα *ubi vis paremus tibi ad edendum Paſcha? Matth.* XXVI. 17. quaſi ἡ πρώτη ἀζύμων *prima azymorum* fuerit ante *Paſcha*. Hæc excuſantur computatione dierum civilium, etſi ratione computationis dierum ſacrarum feſtum azymorum demùm cœperit decimo quinto, durâritque tantùm dies ſeptem, *Paſchate* feſtum azymorum præcedente.

XXVI. Tandem ſciendum eſt, (†) quod conceſſum fuerit *Paſcha ſecundum* iis, qui veſci *primo* non potuêre, vel propter impuritatem ex contactu cadaveris contractam, vel ob diſtantiam ſuarum habitationum ab eo loco, quo jugulari debuit. Id obſervari debuit menſe ſecundo, die decimo quarto, juxtaque omnes prioris *Paſchatis* ceremonias. *Num.* IX. Quantum ad conceſſionem *Paſchatis* poſterioris pro iis, qui in itinere remoto fuerunt; Hebræi in iis verbis, *in itinere remoto*, ſingulares & notatu

 dignas

(†) Nihil eſt in hiſtoria, vel hiſtoricæ picturæ litera, quod non ad certam ſpiritualem iconem reſpiciat. Quid ergò, ſi dicamus hoc *ſecundo paſchate* denotari, [1] non pertingere unà omnes ad communionem Chriſti eodem vel Suæ vel Mundi ætatis anno & tempore? [2] idque propterea, quòd vel propriis vitiis & immunditie abſtineantur, vel quòd cum tota quadam gente adhuc procul ſint? [3] celebrandumque eſſe ſecundum *Paſcha*, quando Chriſtus ſecundùm veniet, emundaturus omnem immunditiem & pravitatem.

dignas meditationes exerunt. Forſan Dominus eo ſignificavit, nos *Gentiles*, *qui immundi & mortui eramus in peccatis*, καὶ ὄντες μακρὰν & *remoti*, *futuros eſſe propinquos ſanguine Jeſu Chriſti, ipſumque participaturos*, qui eſſet *Paſcha* ſecundum. *Eph.* II. 1. 13. De hac legali conſtitutione dicunt Hebræi: quid eſt *iter remotum iſtud? Qui die decimo quarto menſis primi, oriente Sole, quindecim aut plura milliaria ab Hieroſolymorum mœnibus abeſt. Ecce! hæc eſt via longinqua.* Sin minùs abeſt, non eſt via longinqua, nam facilè Hieroſolymam appellere poteſt tempore pomeridiano, licèt pedes eat. *Maimon. in Korban. Peſach. c. 5. ſect. 8. 9.*

XXVII. *Analogia* inter *Paſchalem agnum* & *Chriſtum* ſic habet.

Christus

Christus est nostrum Pascha.

1. Cor. V.

Paschalis agnus fuit	Christus fuit
1. *Agnus è grege.*	1. *Filius hominis. Joh. I.*
2. *Absque vitio.*	2. *Absque peccato.*
3. *Offerendus & assandus.* (21)	3. *Cruciandus & occidendus.*
4. *Circa vesperam.*	4. *In consummatione seculorum. Hebr. IX. 26.*
5. *Cujus non frangebantur ossa.*	5. *Non fregerunt ejus crura Joh. XIX. 33.*
6. Cu-	6. Cu-

(21) *Assatio* agni ipsa notavit duo. 1. Christum torrendum fore igne Divinæ justitiæ, *Heb.* XII. 19 Et 2. Christum inflammatum fore amore fratrum suorum & zelo domûs Dei, *Ps.* LXIX. 10. Modus assandi, quem describit *Bochartus Hieroz. l. 2. c. 50.* penitùs significat crucifixionem Jesu. Is citat *Maimonidem* ita loquentem: *Quum assant agnum Paschalem, à medio ore usque ad pudenda transfigunt eum veru ligneo, & subjecto igne, in medio furni suspendunt.* Si vera quoque sunt, ut sine dubio sunt, ea, quæ habet *Justinus Dial. cum Tryph.* ubi ait: *Agnus assus, in figuram cruci similem conformatus, ad ignem torretur. Nam veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum perfigitur, & aliud rursùs ad interscapilium, cui appenduntur agni manus.* Si, inquam, hæc vera sunt, augent stuporem & πώρωσιν *obdurationem* Judæorum, quòd non suis oculis pendentem è cruce Jesum verum Pascha esse legerint. Sed quid dicam? Filius Dei, & omnes filii Dei, non cognoscuntur, etiamsi clarissimos Patris sui characteres ostendant.

Landesbibliothek Oldenburg

6. *Cujus sanguine respersi portarum postes.* (22)	6. *Cujus sanguis mundat nostras conscientias.*
7. *Ut Angelus percussor ipsos transiret.*	7. *Ne peccatum & mors nos prosterneret.*
8. *Qui in domibus privatis edebatur.*	8. *Qui verâ propriâque fide applicatur.*
9. *Totus.* (23)	9. *Per omnes fidei articulos.*
10. *Sine fermento.*	10. *Sine hypocrisi.* 1. *Cor. V.* 8.
11. *Cum herbis amaris.*	11. *Cum patientia sub cruce.*
12. *Cum festinatione, & more*	12. *Cum serio & siticuloso desi-*

(22) *Adspersio* postium & superliminaris notavit, 1. Homines non posse ingredi portas cœli, nisi per portam Jesum, & quidem proprio sanguine respersum. 2. Cordium nostrorum fores tingi debere salubri isto liquore, si percussor non debeat eas lædere. 3. Piorum exitus & introïtus sanguine Jesu esse sanctificatos.

(23) Totus agnus absumendus significavit, Christum non esse disjungendum, sed totum accipiendum; quod non faciunt hypocritæ, qui amant Christum, & confidunt ei, aut se credunt ei, quoad cœlum acquisivit & spem æternæ felicitatis, sed non quoad reliquit nobis passiones, aut quoad Rex est, & vult nos sibi totos subjici, & suo imperio parere. Illi enim tantùm ipsum accipiunt quoad est Pontifex, & sacrificavit suum corpus pro peccatoribus, sed non quoad est Propheta, & manifestat nobis voluntatem Patris, inculcans nobis amorem Dei atque proximi. Sicque produnt se esse διψύχους & habere לב ולב *cor & cor*, quorum alterum Deo, alterum Mundo consecrant, & hoc pacto duobus Dominis servire volunt. Quod plerumque inde evenit, [1] quia amant Mundum, [2] quia putant veram fidem respicere tantum Christum quà sacerdotem ejusque sacrificium pro peccato.

Landesbibliothek Oldenburg

more viatorum. (24)
13. A solis circumcisis.

desiderio æternæ vitæ.
13. A solis fidelibus. 1. Cor. XI.

CAP. V.

De Festo Pentecostes.

I. HOc Festum vocatur ΠΕΝΤΗΚΟΣΤΗ, vocabulo *diem quinquagesimam* significante, quia celebrabatur *quinquagesimo* à *postero Paschatis*, h. e. *decimo sexto die mensis Nisan.*

(24) Rectè ait Autor, *festinationem* in agni comestione notâsse *siticulosum* vitæ æternæ *desiderium.* Nam is, qui festinat dentesque exercet edendo, videtur fame longâ maceratus; quæ fames non est nisi illis, qui dicuntur à Christo μακάριοι, *Matth.* V. 6. Præterea hæc *comestio concitata* significavit duo. 1. Christum ipsiusque comestionem non esse prorogandam, sed *tempestivè*, & quò citiùs, eò meliùs accipiendam. *Esa.* LV. 6. Christus enim est *Pascha*, & suas habet διαβάσεις *transitus*, queis, nî citò accipiatur, transmigrat ad alios. *Rapiendum est regnum cœlorum*, *Matth.* XI. 12. *Redimendum tempus*, *Eph.* V. 16. Sumus in belli statu, at non bis peccatur in bello, ut ait ille. Si quis semel neglexerit Christum, metuendum, ne in æternum. 2. *Protestantes* iis temporum tenebris, cùm convenissent, & consultassent de participando vero *Paschate*, & de Ecclesia fermento purganda & in libertatem asserenda, fuisse famelicos, & accelerâsse cœlestem cibum, quo in *Ægypto* mystica carere cogebantur. Sic præcipiti pede cum *Lotho* ex *Sodoma* egressi *sunt.* 3. Nos Christo solo debere esse contentos, tanquam viatores, sepo-

II. Hîc primò notandum est, quòd *decimus quartus* dies mensis *Nisan* fuerit τὸ Πάσχα; *decimus quintus* ἑορτὴ τοῦ πάσχα *festum Paschatis*, sive πρώτη τοῦ πάσχα *prima dies Paschatis*, quam Seniores appellabant πρώτην τῶν σαββάτων *primam Sabbathorum*. *Decimus sextus* erat δευτέρα τοῦ πάσχα *secunda dies Paschatis*, seu מחרת השבת (1) *posterus dies* à *cessatione*, nempè *Paschate*. *Levit.* XXIII. 11. Nam, quia

sepositisque cæteris omnibus, paratos ad exeundum ex hoc Mundi ergastulo.

(1) Judæi inter se confligunt, utrùm מחרת השבת sit intelligendum de postriduano *Sabbathi* die, an decimo sexto, seu postriduano *Paschatis* die. Quidquid sit, clarum est, tempore Christi *Pascha* incidisse in *Sabbathum*, ut factum sit *Sabbathum* magnum, & decimus sextus dies tum fuerit postriduanus Sabbathi, h. e. dies Solis, seu potiùs ἡμέρα κυριακή *dies Dominica*. Quòd hæc ita se habeant, hoc patet inde, quia antiqua Ecclesia semper *Pentecosten* celebravit *die Dominica*, quòd eo Spiritus S. descenderit super Apostolos *Act.* II. 1. Si verò fuit *dies Dominicus* ille dies *Pentecostes*, tum quoque sequitur, decimam sextam diem, seu δευτέραν *postriduanam* festi fuisse postriduanam *Sabbathi*; si verò decima sexta dies seu δευτέρα fuit postriduana *Sabbathi*, tum in aprico est, primum azymorum diem fuisse *Sabbathum*, & Judæos pridie *Sabbathi*, decimâ quarta *Nisan*, nostrâ die *Veneris*, comedisse *Pascha*. Quum autem Christus surrexerit *die Dominicâ*, seu *die Solis*, vel postridie *Sabbathi*, sequitur clarè Christum anticipâsse suum *Pascha* uno die, nam si postridie *Sabbathi* surrexit, tum *Sabbatho* quievit, & pridie *Sabbathi*, h. e. decimâ quartâ *Nisan*, quo Judæi comederunt *Pascha*, crucifixus est, quia non eo die, quo crucifixus est, edit *Pascha*, ergo pridie. Quomodo verò & quo

quia hoc festum septem constabat diebus, primusque & septimus vocabantur *Sabbatha*; hæc locutio idem notat, ac si dictum esset *posteriore Paschatis die.*

III. *Hi quinquaginta dies* certi limites erant Judaïcæ messis, quam includebant duo sollemnes dies, ineunte eam δευτέρᾳ τοῦ πάσχα *secunda die Paschatis*, claudente πεντηκοστῇ *quinquagesimâ post.* Δευτέρᾳ τοῦ πάσχα *secundâ Paschatis*, *offerebant manipulum primitiarum messis suæ* (2) *Levit.* XXIII. 13. *Scalig. de emend. temp. lib.* 6. *Festo Pentecostes* offerebant לֶחֶם תְּנוּפָה שְׁתַּיִם *panes agitationis duos. Levit.* XXIII. 17.

IV. Ille manipulus oblatio fuit pro tota messe, fecitque ut omnes sequentes fruges per totam terram

& quo jure anticipari aut bis comedi potuerit *Pascha*, vid. Cel. *Cocc. Sanhed. cap.* 1. Item ejus *Comment. in Joh.* XVIII. Item ejus *Confid. Quæst. Jud. cap.* 34.

(2) *Manna* non visa est *Sabbatho*, sed rursûs visa est die octavo, quo etiam die Circumcisio facta. Accedit, quòd manipulus eodem die, tempore Christi, sit oblatus. Quæ omnia notârunt, Christum surrecturum die octavo. Manipulus ergo ille fuit ἀπαρχὴ *primitiæ* seminum, & præprimis significavit tria, (ut dictum.) 1. Christum ex terræ corde eruptum postriduano *Sabbathi* die, cùm priùs in eo tanquam granum sepultus fuerit. *Joh.* XII. 24. 1. *Cor.* XV. 36. Et 2. Christum futurum τὴν ἀπαρχὴν τῶν κεκοιμημένων *primitias eorum, qui obdormiverunt.* 1 *Cor.* XV. 20. Denique 3. Christum suâ resurrectione facturum, ut in N. T. *cuncta sint pura purìs*, & *cum gratiarum actione possimus vesci omnibus terræ fructibus*; quemadmodum post oblatum manipulum omnes fruges sanctificabantur.

Landesbibliothek Oldenburg

terram ſanctificarentur; καὶ τότε λοιπὸν δημοσίᾳ ἔξεστι πᾶσι καὶ ἰδίᾳ θερίζειν & *ex eo deinceps publice licet omnibus & privatim metere.* *Joſeph. Antiq. l.* 3. c. 10. Non enim priùs licuit falcem frugibus immittere, quàm poſt factam oblationem. Panes autem (3) duo, & fuerunt oblatio euchariſtica, & ſignum collectæ meſſis.

V. Secundò ſciendum eſt, quòd hos quinquaginta dies numerârint, ſupputando *ſeptimanas* à δευτέρᾳ τοῦ πάσχα *ſecundâ Paſchatis*, unde dictum eſt *Feſtum ſeptimanarum.* Modus ſupputandi ſeptimanas erat pro numero *Sabbathorum*, δευτέραν *ſecundam Paſcha-*

(3) Panis ille vocatur etiam *Levit.* XXIII. מִנְחָה חֲדָשָׁה *oblatio* ſeu *munus novum*; verſ. 16. panis חָמֵץ *fermentatus*, verſ. 17. ἔνζυμος & non ἄζυμος, ſicut titubavit calamus Cl. *Mommæ tom.* 1. *l* 2. *c.* II. §. 67. 68. בִּכּוּרִים לַיהוָה *primitiæ Jehovæ*, verſ. 17. לֶחֶם בִּכּוּרִים *panis primitiarum*, verſ. 20. Ille panis in πεντηκοστῇ offerendus notavit quatuor. 1. Spiritum Sanctum tanquam munus novum quinquageſimâ deſcenſurum ſuper Diſcipulos, ut accipiant ἀπαρχὴν πνεύματος, *Rom.* VIII. 23. Et 2. Apoſtolos tanquam munus novum ex hominibus veluti frugibus terræ ſanctificandos Domino per ἀπαρχήν nempè Jeſum, ut ſint quaſi *primitiæ* eorum, in quibus eſt εὐδοκία *oblectatio Dei. Pſ.* XVI. 3. h. e. N. T. 3. Spiritum Sanctum ſic operaturum in Apoſtolis, ut ipſi fiant quoque panis, dum Gentibus cœleſtem panem propoſuerunt, & ipſas paverunt ſuâ doctrinâ, famelicosque ſaturârunt. 4. Ipſos tamen non fore panem ἄζυμον, nec ita in iis vetuſtatem ſubigendam, etſi ſint munus novum, & habeant πνεῦμα υἱοθεσίας,

Paschatis sequentium. Hinc *primum* sequens *Sabbathum* vocabant δευτεροπρωτον σαββατον, *Secundum* δευτεροδευτερον, *Tertium* δευτεροτριτον, &c. Sic ut singula *Sabbatha* & septimanæ durante *Pentecostes* tempore, veluti *Primum*, *Secundum*, & *Tertium* &c. sua nomina duxerint à δευτέρᾳ *secundâ Paschatis die. Scalig. de emend. Temp. l. 6. p. 260.*

VI. Hæc observatio lumen affundit loco illi *Luc.* VI. 1. ubi fit mentio σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ (4) *Sabbathi secundo-primi*, per quod intelligitur proximum *Sabbathum* à decima sexta mensis *Nisan*, quæ erat δευτέρᾳ τῶν πάσχα.

VII. Postquam ita vidimus, quinquaginta diebus Tempus messis describi, facile erit differentiam observasse, quæ est inter ipsorum nostramque messem; quæque præcipuè in eo consistit, quòd anticipent tempus nostrum; nam & *Cana-*

ἀιοθεσίας, ut non aliquid fermenti in cordis adytis remaneat; quod videmus in Petri Judaïzatione, & Pauli cum Barnaba rixa.

(4) Alii explicant illum locum sic, ut σάββατον δευτεροπρωτον non sit πρῶτον post δευτέραν, sed πρῶτον δευτέρας antecedens δευτέραν. Si hoc; tum Discipuli visi sunt duplici culpâ teneri. 1. Quòd commolerent fruges *Sabbatho*, quale opus servile interdictum est Lege. 2. Quòd vescerentur frugibus interdictis, scil. antequam postriduano *Paschatis* seu potiùs *Sabbathi* die manipulus oblatus & frugum esus licitus fuisset. Verùm, quia ipsi Judæi Autori nostro succenturiantur, ejus me potiùs, quàm illi sententiæ applico. Vid. Disput. Cl. D. *Frischmuth. de Sabbatho Deuteroproto*, & *Coccej. Epist.* CLXIII.

Landesbibliothek Oldenburg

& *Cananæi* & *Ægyptii* arva cum falce visunt paulò ante *Calendas Aprilis*, peraguntque messem Majo, *Plin. lib.* 18. *cap.* 18. Illud ipsum confirmat *Leo Afer*, testis αὐτόπτης, *Descript. Afr. lib.* 8. c. 4.

CAP. VI.

De Festo Tabernaculorum, seu σκηνοπηγίᾳ.

I. VOcabulum Græcum, quod adhibetur ad exprimendum hoc festum, notat propriè *structionem tabernaculorum. Jans. Concord. cap.* 73. Iem *Tolet. in Job.* VII. Hebraïcè dicitur חג הסכות *FESTUM TABERNACULORUM.* Utriusque etymi ratio est, quòd per totum hoc festum, quod septem plenos dies habebat, nempè à *decimo quinto* mensis *Tisri* usque ad *vigesimum primum*, populus mansitaret sub *tabernaculis* & *tentoriis* in formam fornicum & porticuum exstructis. Primus tamen horum septem dierum & septimus singulari modo celebrari debebant, quum esset iisdem *convocatio sancta.* (1)

II. Quan-

(1) Ut reliqua festa fuerunt σκιαὶ *umbræ*, ita & ἡ ἑορτὴ σκηνῶν *festum Tabernaculorum.* Quoad in eo erecta sunt *tabernacula*, notatum est, 1. Fideles N. T. velut *Scenitas* populos, de quibus Plinius, in toto mundo fore dispersos, *Zach.* XIV. 16. non uni monti *Zioni* vel septicolli *Romæ*, non uni templo vel *Capitolio*, non uni cathedræ affixos.

II. Quantum ad hæc *tabernacula*, de iis sic scribunt Judæi: oportebat ea fieri sub dio, non intra portas, aut sub tegmine alicujus arboris; nec tegi velis, nec condensari frondibus, sed relinqui Solis radiis stellarumque scintillationibus & pluviis rimulæ debebant, per quas illaberentur. Sub his septem dies agitabant velut in suis ædibus; proptereaque illa & supellectile & lectis instruebant, nimboso tamen æthere cibum somnumque capere in ædibus concessum erat, usquedum tempestas illa discussa esset. Vid. *Munster. Lev.* XXIII. Infirmis quoque, qui vapores terræ ferre nequibant, remanere domi licebat. Tempore *Nehemiæ* conficiebant sua *tabernacula* super tectis, (ædes enim ipsorum non culminatæ, sed planæ erant. *Deut.* XXII. 8.) aut in atriis domorum, aut plateis. *Neh.* VIII. 17.

III. Plutarchus referens hoc festum *Sympos.* 4. *Probl.*

affixos. 2. Fideles N. T. habere festum lætitiæ, & posse πάντοτε χαίρειν *semper lætari*, 1. *Thess.* V. 16. 3. Fideles N. T. quum non habeant certam terram in pignus cœli, propterea semper anhelaturos ad τὰ ἄνω *quæ suprà sunt*, quemadmodum Israelitæ ad terram *Canaan*, cùm in deserto papiliones metarentur. 4. Illud festum N. T. incipiendum fuisse, cùm esset finis & agon V. T. quemadmodum *festum Tabernaculorum* fuit ultimum festum anni sacri, ita ut dies N. T. sint ἡμέραι ἔσχαται *dies ultimi*. 5. N. T. futurum festum, in quo agant Deo gratias, quòd Ecclesiam fecerit ebriam, & famem & sitim restinxerit; quemadmodum *festo tabernaculorum* factum est. *Deut.* XVI. 13-15. *Exod.* XXIII. 16. 6. Quoad verò duravit dies septem, quorum primus & septimus fuêre sacri, idem significatum est, quod per festi *Paschalis* septiduum. Vid. sup.

Landesbibliothek Oldenburg

Probl. 5. ait; quòd hæc *tabernacula* præprimis constructa fuerint ex hedera. Sed S. Literæ tradunt quatuor frondium species, queis *tabernacula* sua munîerunt, *Lev.* XXIII. 40. quæ putantur esse sequentes. 1. *Thyrsi olearum.* 2. *Thyrsi palmarum.* 3. *Termites myrtorum.* 4. *Rami salicum.* (2)

IV. Rabbini produnt, quòd quisque quovis mane

(2) Quòd plures lætarum frondium species, quibus fecêre *tentoria*, fuerint, patet ex *Neh.* VIII. 15. Verùm præcipuè frondes fuêre thyrsi *oleæ*, *palmæ*, *myrti*, *salicis*; ast salix non tam videtur addita esse ad ornanda & tegenda *tabernacula*, quàm ad eadem texenda & compingenda. Jam, si ipsa *tabernacula* quidpiam futuri denotârunt, quod omnes circumstantiæ facilè evincunt, cur non ergo quoque eæ res, quæ constituebant *Tabernacula*? Idcirco dico 1. quòd, quia frondium tres priores fuerunt oleosæ, Fideles N. T. magnâ copiâ olei, h. e. Spiritûs S. fuerint perfundendi. *Joel.* II. 28 2. Quòd, quia eæ frondes nullam cariem sentiunt, nec folia amittunt, sed sempiternæ sunt, teste *Plinio Hist. Nat. l. 16. c.* 20. eodem modo Fidelium fides nunquam sit remissura virorem, sed æternùm germinatura. 3. Quòd, quia Antiqui triumphántes & myrteâ coronâ & oleosâ redimiverunt, *Plin. Hist. Nat. l.* 15. *cap.* 4. *& c.* 9. *sub fin.* & palma quoque victoriæ signum est, sic Ecclesia N.T. non sit superanda ab Inferorum porta, sed triumphatura *Apoc.* VII. 9. Denique 4. quòd eæ frondes constrictæ fuerunt amaris salicibus, notatum eo est; Ecclesiam quasi contineri afflictionibus πρὸς τὸ πικρόν non dulcibus, & fidem, virtutesque ejus amarore isto probari, adeo ut quasi sustentaculum Ecclesiæ afflictiones sint, quæ sanguine fundata est, & sanguine crescit. Nisi malimus cum *Herma Lib. Past. Similitud.* 8. dicere, salices denotare fidem & vitam fidelium. Nam salices facile crescunt, & quamvis videantur interdum emortuæ, reviviscunt.

Landesbibliothek Oldenburg

mane hunc suum ramorum fasciculum tulerit, aut si secus, quòd jejunârit. *P. Fagius Levit.* XXIII. Hunc fasciculum appellabant *Hosanna. Elias Thisbit.* Hinc populus intranti Salvatori nostro Hierosolymam putabat ramos ab arboribus, sternebatque super via, (3) ingeminans: Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. *Matth.* XXI. 9.

V. *Plutarchus*, illudens Judæis, comparat hoc festum *Sacris Bacchi*, *Bacchanalibus*, in quibus convivæ circumcursitabant, hastas sacras hederâ vestitas, quas θύρσους vocabant, manibus tenentes: quapropter festum *Tabernaculorum* appellavit θυρσοφορίαν *gestationem thyrsorum.* Hoc festum non dissimile festo, quod *Athenienses* vocant Εἰρεσιωνήν.

VI. Primo post hoc festum die (4) septies al-

T tare

(3) Verum quidem est, quòd fasciculus interdum Judæis vocetur *Hosanna*; Sed si hîc intelligatur, quòd Ὡσαννὰ τῷ Δαβίδ, idem sit, ac *Rami in honorem filii David*, scil. tolluntur, quid tum vellent sibi ista, Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις *Hosanna in altissimis?* Commodiùs ergo intelligitur, quòd canentes id voluerint, ac si dixissent: Nos canimus *Hosanna filio Davidis.* Unoquoque enim die septidui, circumeuntes cum suis fasciculis altare semel, septimo autem septies, pronuntiabant crebrò illud: אנא יהוה הושיעה נא אנא יהוה הצליחה נא *Obsecro Jehova, serva age, obsecro Jehova, prosperè age.* Alia plura reperies apud *Ursin. Arb. Bibl. c. 2. p. 44.*

(4) Autor hîc putat diem octavum festi, quem inferiùs hoc capite ait dictum esse *Hosanna Rabba*; Sed vereor ut benè: nam 1. die octavo non adhibuerunt ampliùs סכה

taber-

tare circumiverunt, manibus palmarum termites, in memoriam captæ *Hierichuntis*, ferentes. (5) Ex hac causa, vel quòd palmarum rami præcipui essent in fasciculis, hoc festum vocatum est *dies palmarum*. *Hospin. de Orig. Fest. cap. 7.* item *Munster. in Calend. p.* 150.

VII. Quantum ad *rationes* hujus festi: Quidam pu-

tabernam, nec לוּלָב *ramum*, sed tantùm נִסּוּךְ הַמַּיִם *effusionem aquæ*. Vid. *Lightf.* in *Joh.* VII. 37. Et 2. etsi Cl. *Lightf.* l. c. quoque cum Autore putet *Joh.* VII. 37. Euangelistam loqui de die septimo; primò, quia illa dies respectu reliquorum dici quoque potest μεγάλη *magna*, utpote ἄπραικτος *festa*; secundò, quia ibi vocatur ἡμέρα ἐσχάτη *dies ultima*, quæ dies שְׁמִינִי עֲצֶרֶת *octavus detentionis* esse non potest, dum ille dies est festum עַצְמִי *peculiare*, ut ipse Autor & Cl. *Lightf.* fatentur. 3. *Buxtorf. Syn. J. c.* 16. ait, diem septimum sacrum esse, & appellari à Judæis *Hosanna Rabbq.* Et sic quoque locum *Joh.* VII. 37. Cl. *Cocc.* pro septimo festi die exposuit. Quo die autem Judæi soleant septies circum altare ire cum thyrsis, vid. præced. *not.*

(5) *Jericho* typus *Romæ*, Urbis & Orbis est. 1. Jericho obstabat Israelitis in terram promissionis; Roma piis in libertatem Euangelii ingressuris. Spiritus enim, qui Legis Peritos egit, ut qu. clauderent Regnum cœlorum, & *prohiberent intraturos Luc.* XI. 52. semper & ubivis se exerit. 2. Jerichuntem Sacerdotes tubis clangentes circuibant se dedere nolentem; Christus per suos ministros Euangelium Romanis & Mundanis nuntiat audire nolentibus. 3. Tandem ad clangorem buccinarum muri Jerichuntis collabuntur; sic Euangelii sono decima pars urbis, spiritualis

putant id institutum fuisse in memoriam protectionis, quam Deus Israelitis, desertum transeuntibus, nube dedit, sub cujus umbra, tanquam sub tuto papilione, iter faciebant. *Onkelos* in suo *Targum* seu Paraphrasi Chaldaïca videtur huic sententiæ annuere; nam ubi Hebræi legunt: *Ut cognoscant generationes vestræ, me fecisse ut habitarent filii Israelis in tabernaculis*, *Lev.* XXIII. 43. ibi Chaldæus Paraphrastes vertit: *Ut generationes vestræ sciant, quòd fecerim habitare filios Israelis* בְּמִטַּלְיָא עֲנָנִין *sub umbra* (6) *nubium.* Alii putant illud festum institutum tanquam solennem gratiarum actionem pro vindemia, quæ eo tempore colligebatur; hinc intelligunt eos *Psalmos* Davidis, qui inscribuntur עַל הַגִּתִּית *pro torcularibus*, compositos esse in hoc festum. *Theoph. in Job.*

ritualis Jerichuntis, cecidit *Apoc.* XI. 13. Sed 4. præprimis hoc fiet, quando Angelus tubam septimam inflabit, tunc Babel de throno & imperio, quo constrinxerat terræ Reges, omnesque ferè homines, decidet, & omnis ejus altitudo deprimetur. *Apoc.* XI. 15. 16. 17. 19.

(6) Solebant sine dubio Judæi, in terra Canaan adscendentes, ad fores vites, ficus, & oleas plantare, quod ex parte nos sæpè imitamur, sicque diebus festis sub earum umbra tranquillum otium ducere, & etiam forsitan festum *Tabernaculorum*, adjectis aliarum arborum ramis, transigere. Huc ergo videntur respicere non tantùm verba *Psalmistæ Psal.* CXXVIII. 3. *Uxor tua ut vitis frugifera in lateribus domûs tuæ; filii tui ut plantæ olearum circa mensam tuam*; sed & toties repetita illa Prophetis phrasis, *sub vite & ficu* &c.

VII. Alii verisimilius loquuntur, dicentes, rationem ejus esse patrum ipsorum habitationem in *tentoriis* & *papilionibus*. Textus claret *Levit.* XXIII. 43.

VIII. *Sacrificia*, quæ his septem diebus offerebantur, præscripta sunt *Num.* XXIX. 13. 14. ubi legimus singulis diebus eadem sacrificia fuisse facta; hâc tamen differentiâ, quòd primâ die offerrent *terdenos* juvencos subrumos, secundâ die *duodenos*, die tertiâ *undenos*, & sic deinceps quovis die, descendente numero. (7) Rationem cujusque diminutionis hanc esse ajunt Judæi; Totus numerus juvencorum, qui in hoc festo erant offerendi, erat *septuaginta*, juxta numerum *septuaginta nationum*, pro quibus, ut dicunt, hæc sacrificia facta sunt; quo prænunciari diminutionem

(7) Judæi ajunt, se in festo *Tabernaculorum* per totos septem dies sacrificâsse pro LXX. nationibus mundi, (tot enim linguas & gentes Judæi esse statuunt, sed rationem ignoro) quæ etiamnum tempore *Messiæ* ipsæmet sint habituræ festum *Tabernaculorum*, sed quo successu, habes apud Cl. *Cocc. Comm. in Zach.* XIV. 16. §. 43. & *Buxtorf. Synag. J.* l. c. Tales quisquilias reddimus autoribus. Majori ratione statuimus hæc sacrificia delineâsse statum N. T. quòd, quemadmodum primus festi dies plurima sacrificia habuit, secundus & reliqui pauciora, ejusdem tamen generis; sic sub prima Euangelii tuba Ecclesia Dei multùm tum *numero*, tum *robore* & *charitate*, καὶ ὑπομονῇ *tolerantiâ Apoc.* II. 2. invaluerit, sed quod hæ virtutes subsequentibus ævis obtorpuerint, & Ecclesia Dei à bestia ad paucitatem redacta sit, servatâ licèt fide & cognitione literali. Quid autem dies octavus cum suis sacrificiis notarit, nondum satis assequor, nisi velis *unitatem religionis & cultûs*.

Landesbibliothek Oldenburg

onem istarum gentium, usquedum cuncta sceptro *Messiæ*, qui est desiderium gentium, ingenicularent. *Hospin. de Orig. hujus festi.*

IX. Dies vigesimus secundus mensis *Tisri* peculiare quidem festum fuit, ut patet ex *Neh.* VIII. 19. Verùm, quia is immediatè sequebatur festum *tabernaculorum*, reputatus est pro ultimo festi illius die.

X. Non soli autem rami, sed etiam omnes dies totius hujus festi vocati sunt הוֹשַׁעְנוֹת *Hosannot*, à solenni acclamatione populi, cùm fasciculos ramorum huc illuc ferrent. Octavus dies dicebatur הוֹשַׁעְנָה רַבָּה *Hosanna Rabba, magna*, seu magnus festi dies, *Joh.* VII. 37. *Talmud. tract. de festo Tabern. c.* הַלֵּל. Vid. *Tremell. Joh.* VII.

XI. Hoc die Judæi legunt ultimam sectionem Pentateuchi, incipiuntque primam, ne videantur plus hilares ob sectiones finitas, quàm proclives eas exordiendi. *Buxtorf. in Abbreviat. p.* 253.

XII. Hoc quoque die juxta constitutionem Prophetarum *Haggai*, *Zachariæ*, & aliorum propheticorum virorum, magna cum solennitate & lætitia aquæ copiam ex torrente Siloah in templum tulêre, quæ ubi Sacerdotibus tradita, cum vino in altare effundebatur, canente toto populo illud *Esa.* XII, 3. *Haurietis aquas in lætitia ex*

fontibus salutis. (8) Salvator noster censetur hoc respexisse in illo dicto, (†) quo usus est eodem die *Joh.* VII. 38. *Qui credit in me*, ποταμοὶ ὕδατος ζῶντος ῥεύσουσιν ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ *fluvii aquæ vivæ fluent ex ventre illius. Tremell. Joh.* XII. 37. *ex Talmude.*

XIII. Notatu quoque dignum est, quòd, cùm Deus præcepit hoc festum agitari decimo quinto mensis *Tisri*, Jerobeam, ut dedoceret populum

(8) Singulis octidui diebus libabant hoc modo unum *Log.* h. e. Sextarium, sex ova continentem. Miror ergo, Judæos primo & septimo die ἀπροσόπτῳ ausos fuisse haurire aquam ex Siloah, cùm id præceptum non esset. Hujus verò libationis ratio triplex redditur. Cel. *Cocc. Comm. in Zach.* l. c. putat id factum in memoriam aquæ fluentis ex petra. Judæi quidam, quòd Deus statueret festo illo de pluviis totius anni, & propterea pluvias a Sacerdotibus fuisse benedicendas. Alii Judæi, quòd illa libatio notârit effusionem Spiritûs S. Vid. *Lightf. in Joh.* VII. 38. quod certe apprimè convenit cum vers. 39.

(†) Locus *Joh.* VII. 38. multis tormento est. Sed duplex expositio difficultatem omnem solvit. [1] Si dicimus Christum hoc innuisse; uti tùm temporis rivuli libaminum ex vasculis defluebant, ita imposterum ex credentium corde varia Spiritus S. dona, & gratias perrennes manaturas. Idque ubivis prædicere S. Scripturas *Esa.* XXXV. 6. 7. & XLIII. 19. 20. *Zach.* XIV. 8. &c. [2] Si dicimus, *versum* 37. *Joh.* VII. forsan male distinctum & separatum à *vers.* 38. atque sic legi debere; *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat qui credit in me; quemadmodum dixit Scriptura, fluvii aquæ viventis manabunt ex ventre ipsius* (scil. θεανθρώπου, Messiæ, ex cujus adaperto latere aqua profluxit) *hoc verò dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum.* Conf. *Esa.* XLIV. 3. 4. *Ezech.* XXXVI. 25-27.

Landesbibliothek Oldenburg

lum verum Dei cultum, constituerit die decimo quinto mensis octavi festum, quod respondere existimatur festo *Tabernaculorum*. *Hospin. de Orig. hujus festi p.* 24.

CAP. VII.

De Festo Buccinarum & Noviluniorum.

I. UT intelligamus tempus, quo celebrandum fuit hoc festum, notandum est, quòd mensis *Tisri* fuerit *mensis septimus* juxta computationem *sacram*. Hoc festum igitur agitatum est *mensis septimi primo die Lev.* XXIII. 24. Verùm juxta computationem *civilem* erat *mensis primus*; sic ut hoc festum possit vocari *dies novi anni*. (1)

(1) Quòd etiam *Novilunia* aliquid futurum significârint, Paulus docet *Col.* II. 16. 17. ubi dicit: *Ne quis vos judicet in cibo & potu, aut in parte festi, aut Novilunii, aut Sabbathorum*, ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων *quæ sunt umbra futurorum. Novilunia* ergo quovis mense agitanda notârunt, primò, N. T. futurum *Sabbathum*, *Hebr.* IV. 9. nam *Novilunio* fuit עצרת ἐκκλησία *feria*, *cessatio ab operibus*. Secundò, Fideles N. T. habituros continuam *Novilunii* jubilationem & ἀλαλαγμόν, scil. ob conscientiam Christi sanguine purificatam; Judæi enim vetusti *Noviluniis* lautè victitabant tripudiabantque, probantes factum suum ex *Num.* X. 10. XXIX. 1. Vid. *Ezech.* XLVI. 16. Tertiò, significârunt חדשים *Novilunia* τὴν καινότητα *novitatem* N. T. in quo omnia nova facta sunt, & vetera vela & elementa abolita.

II. Quisque mensium suum habebat festum. 1. Quo comparebant coram Prophetis, audituri verbum, quemadmodum cæteris Sabbathis. *Quare tu is ad ipsum hodie, cùm non sit Novilunium, neque Sabbathum?* 2. *Reg.* IV. 23. 2. Quo nefas fuit emere vel vendere. *Quando trasibit Novilunium, ut vendamus annonam?* *Amos.* VIII. 5. Quo offerebantur peculiaria sacrificia præter quotidiana.

III. Festum tamen *Buccinarum* differt ab ordinariis *Noviluniis*. I. Respectu sacrificiorum. In *Novilunio* ordinario offerebant, præter oblationes quotidianas, *juvencos subrumos binos*, *arietem unum*, *agnos anniculos septenos integros*, unà cum ipsorum מִנְחָה *munere frumentaceo*, & נֵסֶךְ *libamine*, & *hirco peccati*. *Num.* XXVIII. 11. 15. Sed νεομηνίᾳ *Novilunio*, quod ordiebatur novum annum,

abolita. Quartò, innovationem Spiritûs, quòd nova & clarior lux corda Fidelium N. T. sit illuminatura. Quintò, notârunt, quòd Christus futurus sit רֹאשׁ חָדָשׁ *caput* τῆς καινότητος, seu καινῆς κτίσεως καὶ ἀληθείας N. T. imò quòd futurus sit nova lux, הֵילֵל בֶּן־שָׁחַר, ὁ ἀστὴρ λαμπρὸς καὶ ὀρθρινός, *Stella lucida & matutina*, *Apoc.* XXII. 16. quæ φωτίζει *illuminat* suos vers. 5. Sextò, periodo septimâ N. T. futurum esse *Novilunium* magnum, quo seductæ gentes & cæci Judæi rursùs videbunt novam lucem; quemadmodum mense septimo novus annus & *Novilunium* magnum celebratum est in V. T. Non mirabere, Lector, quòd una res tot corporum umbra esse queat; nam bonus Deus tali ordine sacramenta, signa, & typos V. T. instituit, ut facilè omnia significent, quæ significare possunt.

Landesbibliothek Oldenburg

num, offerebant omnes dictas oblationes, &, præter eas, *juvencum subrumum unum*, *arietem unum*, & *hircum è capris in peccatum*. *Num.* XXIX. 1-5.

IV. II. Ordinariis *Noviluniis* non (†) clangebant *buccinis*. Hâc autem νεομηνίᾳ *Novilunio* inflabant *buccinas ab aurora ad occasum Solis*. *Schindl. in voce* שׁוֹפָר. Unde discimus, quale *Novilunium sit*, de quo loquitur David *Psalm.* LXXXI. 4. *Clangite in Novilunio buccinâ*, *in interlunio*, *die festi nostri*.

V. Ratio generalis hujus *buccinationis*, & clangoris ingentis, videtur mihi fuisse, ut diem novi anni eò observabiliorem redderent, quoniam omnes negotiationes & contractus ipsorum & ipsi anni *Sabbathici* & *Jubilæi* abinde computabantur.

VI. Verùm cur observabilis redditus sit ille dies *buccinis* sive *cornibus*, tres opiniones existunt. (2) I. Hebræi putant, illud fieri in memoriam

T 5 libe-

(†) Certum est, omnes penè Gentes Novilunia celebrasse; forsan traditione à Judæis acceptâ, & ob spem lætitiamque ex nova luce; quantum enim *Lunæ* לבנה, qu. *Lucinæ*, tribuerint, constat. Nec absurdè deducas à Græco λύειν *purgare*, quòd humores purget, *Plinius lib.* 2. *cap.* 46. ait: *Omnia plenilunio maria purgantur*. Orientalis Indiæ incolæ plerique Novilunio Martio annum inchoant, diem istum omni lætitiarum festivitatumque genere peragentes. Plateas urbium & ædes floribus, suffimentis, & musicorum instrumentorum boatibus replent. Vid. *Itinerar. Thalassiarch. Matelief.*

(2) Novus annus dicitur *Num.* XXIX. 1. יוֹם תְּרוּעָה ἡμέρᾳ ἀλαλαγμοῦ *dies clangoris*, quia eo tubis clangebant.

Vir

liberationis Isaaci, buccinatumque fuisse cornibus, quia aries ipsius loco jugulatus sit. *P. Fagius Levit.* XXIII. II. *Basilius in Ps.* LXXXI. autumat, quòd populo in memoriam revocaretur ille dies, quo acceperant Legem in monte Sinaï *cum sono tubæ.* III. Aliorum sententia est, eo ipsos relegisse memoriam resurrectionis, quæ fiet cum σαλπίσματι *sono tubæ. Mittet Angelos suos* μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης *cum voce magna tubæ. Matth.* XXIV. 31.

VII. Tria observatu digna sunt in *Noviluniis. Scalig. de Emend. temp. p.* 26. & 105. I. Σύνοδος *conjunctio Lunæ cum Sole.* II. Ἐξαυγασμός *incrementum splendoris Lunæ.* III. Σχῆμα μηνοειδές *forma falcata*, seu initium *Lunæ.* In primo statu Luna obscura planè est; In secundo se ipsam proripit ad recipiendos Solis radios; In tertio apparet corniculata.

VIII.

Vir magnus putat hoc die Sacerdotes non clanxisse בְּשׁוֹפְרוֹת *cornibus arietinis*, nec ullum diem celebrandum fuisse iis, nisi diem *Kippurim* anni *Jubilæi Levit.* XXV. 9. Vocemque שׁוֹפָר *Psalm.* LXXXI. 4. generaliter poni, & sub ea contineri חֲצוֹצְרוֹת *tubas.* Verùm, an ita sit, nescio. Saltem hodierni Judæi per totum mensem *Augustum* cornibus arietinis & in ipsa Synagoga die novi anni strepunt. Vid. *Buxtorf. Synag. J. cap.* 18. & *cap.* 19. Quid denotârint cornua, videbimus *cap. de Jubilæo.* Quidquid autem sit, seu tubâ usi sint novo anno, seu cornu arietino, clangore tamen notatum est, fore lætitiam in N. T. תְּרוּעַת מֶלֶךְ *acclamationem Regis Num.* XXIII. 21. *Ps.* XLVII. 6. ut possimus dicere: *Hæc est dies, quam fecit Dominus; Gaudeamus, & lætemur in ea.*

Landesbibliothek Oldenburg

VIII. Hinc, cùm in tribus istis mutationis gradib° sit mutua participatio veteris & novæ Lunæ, Judæi observant *duos dies*, (3) *ultimum cujusvis mensis, & primum sequentis. Hospin. de Orig. Fest. c. 4. p. 15.* Eadem ratio tenet etiam in illis mensibus, qui constant 29. diebus. Propterea quia dies trigesimus erat ultimus mensium longissimorum, *Horatius lib. 1. sat. 6.* hos ultimos dies vocat *Tricesima Sabbatha.* Primos dies vocabant νεομηνίας *novilunia.*

IX.

(3) Duæ afferuntur rationes, cur Judæi duos observârint dies, ultimum mensis antecedentis, & primum sequentis. 1. Quia συζυγία Solis & Lunæ, quo tempore est νεμηνία, sciri nequeat; sed, etsi ignaros orbium cœlestium hoc lateat, non tamen latet peritos. 2. Quia φάσις Lunæ novæ propter nimbosum cœlum sæpè apparere non possit, & emissi legati non redeant, visamque Lunam nuntient. Hæc ratio bona est. Tum enim, cùm dubitaretur de φάσει Lunæ, & emissi legati non redirent, duos dies celebrârunt, scil. *interlunium* & *novilunium* ἕνην καὶ νέαν τεμαχάδα *Lunam veterem & crescentem mensis*, quam Latini dicunt *Janam veterem novellam*, & denuò cùm appareret Luna, ita ut sæpiùs capita festorum geminata fuerint à Judæis, & novus annus inchoatus vel in *interlunio*, cum adhuc συζυγία esset Solis & Lunæ, & Luna silens vel in Novilunio, seu cum esset φάσις apparentia Lunæ. Quomodo autem antiquitùs emissi legati in montibus Lunæ φάσιν observarint, accensisque facibus eam prodiderint, donec tandem decepti Judæi à Cuthæis seu gentibus nuntios emiserint, qui ore tenus referrent; Vide *Cocc. Sanh. cap. 1.* & etiam Cl. *Leusden. Phil. Heb. Mixt. diss. 37.* Hîc Autor l. c. adducit aliam rationem, scil. quòd Hebræi nesciverint, utrùm S. Scriptura præcipiens *novilunia* velit tempus *interlunii* seu συζυγίας, quo est participatio veteris & novæ Lunæ, ἕνη καὶ νέα, an verò tempus φάσεως *apparitionis*; quæ ratio certè plausibilis est.

Landesbibliothek Oldenburg

IX. Ob certam rationem utuntur Judæi *mutatione* quâdam seu *transpositione* dierum; quæ transpositio, etsi usurparetur quoque aliis mensibus, summa tamen cum cura in transponendo ipsorum novo anno fiebat, sive die primo mensis *Tisri*. Et is, qui has *mutationes* sedulò conferet, omnes *transpositiones* ab hac prima pendere inveniet.

X. *Transpositio* dierum triplex fuit. *Scalig. de emend. temp. l. 2. p. 58.* 1. *Menstrua.* 2. *Politica.* 3. *Mixta.*

XI. Ratio *transpositionis menstruæ* erat, ne celebrarent festum *novilunii*, usquedum vetus penitùs præteriisset. Ut hoc meliùs elucescat, observa tres regulas. I. Hebræi metiebantur suos dies sacros à vespera in vesperam, initio sumpto ab hora sexta, sic ut ab ea hora sexta usque ad meridiem sequentem numerarentur 18 horæ. II. Ante *novilunium* (†) συζυγία seu *conjunctio* est inter Lunam & Solem,

(†) Neminem fugit, quod primus dies cujusque mensis Romanis dictus sit *Calendæ*; unde verò, audiamus ex *Macrobio lib. 1. cap. 15.* simulque quomodo novæ Lunæ adspectum observarint? *Priscis* inquit, *temporibus antequam fasti à Cn. Flavio scribâ, invitis Patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum observaret adspectum, visamque Regi sacrificulo nuntiaret. Itaque sacrificio à Rege & minore pontifice celebrato, idem Pontifex kalatâ, h. e. vocatâ in capitolium plebe, juxta curiam Calabram, quæ casa Romuli proxima est, quot numero dies à Calendis ad Nonas superessent, pronuntiabat; & quintanas quidem, dicto quin-*

Solem, quâ durante Luna vocatur *silens*, respectu obscuritatis ejus, totoque eo tempore est participatio veteris Lunæ. III. Solutâ hâc conjunctione, nempe sub illarum octodecim horarum antemeridianarum aliqua, *neomenia* habita est eodem die. Verùm si duraret unam minutam post duodecimam meridie, festum transpositum est in sequentem diem; quia aliàs suum sacrum diem inchoâssent tempore veteris Lunæ. *Munst. Calend. Hebr. p.* 46. Et hanc *transpositionem* signant hâc abbreviaturâ יח, h. e. 18. propter horam decimam octavam, quæ illi causam dabat.

XII. Ratio *transpositionis politicæ* erat, ne duo Sabbatha sive festa immediatè se contingerent; quia iis nefas, ut dicunt, parare cibos, & justa mortuis, & quoque incommodum fuit, duobus diebus

quinquies verbo καλῶ, septimanas repetito septies prædicabat. Et hunc diem, qui ex his diebus, qui calarentur, primus esset, placuit calendas vocari; Hinc & ipsi curiæ, ad quam vocabantur, Kalabræ nomen datum est. A calendis est *calendarium*, h. e. codex accepti & expensi, qui pertinebat ad pecunias in fœnore positas. Ratio nominis est, quod Romanis moris erat, pecunias in isto novilunio credere, & usuras exigere. Id quod & Judæis Prophetæ exprobrant. *Amos.* VIII. Unde *Plutarchus lib. de non fœnerando* ait, *Neomenias ac Kalendas, dies sacratissimos, à fœneratoribus reddi nefandos.* Hinc *Horat. l. Ep. od.* II.

Hæc ubi locutus fœnerator Alphius,
Jamjam futurus Rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam
Quærit calendis ponere.

diebus abſtinere parandis cibis & obruendis humo mortuis. (4) *Munſt. Calend. Heb. p.* 136.

XIII. Sed hîc admittendæ duæ exceptiones, quando conjunctio immediata duorum feſtorum evitari nequit. I. Si Paſcha ſive decimus quintus menſis *Niſan* incidebat in Sabbathum, tum Pentecoſte neceſſariò incidebat in diem *Solis*. II. Si Paſcha incidebat in diem *Solis*, tum immediatè antecedebat Sabbathum hebdomadale. Primus Autor hujus *tranſpoſitionis publicæ* erat vir conſpicuæ dignitatis *Eleazar*, 350. annis ante adventum Jeſu Chriſti clarus. *Hoſpin. de Orig. Feſt. p.* 6.

XIV. Peculiares *tranſpoſitionis politicæ* ſpecies ſunt numero quinque: 1. אדו *Adu*, 2. בדו *Badu*, 3. גהז *Gahaz*, 4. זבד *Sabbad*, 5. אגו *Agu*. Ad intelligendas has abbreviaturas ſciendum eſt, quòd in his effictis vocibus literæ poſitæ ſint pro numero, & applicentur ſeptem diebus hoc modo: א. 1. *Dies Solis*. ב. 2. *Dies Lunæ*. ג. 3. *Dies Martis*. ד. 4. *Dies*

(4) Hæc regula de evitando Sabbathorum concurſu nulla eſt, & non tantùm duabus, quas Autor ſuffigit, exceptionibus infringitur, ſed pluribus. Pentecoſte non debuit, juxta illam *Eleazaris* regulam, haberi in גהז *Gahaz*, h. e. *feria* 3. 5. 7. ergo poterat haberi die *Veneris*, vel die *Solis*, adeoque conjungi cum Sabbatho. Imò Cel. *Cocc.* negat loc. cit. *Eliazeris* regulam, ſtante templo, obſervatam eſſe, probatque, & Paſcha potuiſſe haberi feriâ ſextâ, & feſtum *ſortium* potuiſſe ritè agi omnibus feriis, feſtumque *buccinarum* ſeu novi anni potuiſſe incidere in feriam primam &c. Idem *Conſid. Quæſt. Jud. cap.* 34. ait: *Neſcimus, quæ ſit antiquitas illius Calendarii, ſcil. Eliazeris.*

Landesbibliothek Oldenburg

4. *Dies Mercurii.* ה. 5. *Dies Jovis* ו. 6. *Dies Veneris.* ז. 7. *Dies Saturni*, seu Sabbathi Judæorum.

XV. Regulæ (†) tangentes *transpositionem politicam*, hæ sunt. 1. Ne vel *dies novi anni*, qui erat *primus* mensis *Tisri*, vel *festum Tabernaculorum*, quod erat *decimus quintus* ejusdem mensis, celebretur in אדו, h. e. *Die Solis*, vel *Mercurii*, vel *Veneris*. Non die *Solis*, vel *Veneris*, quoniam aliàs Sabbathum hebdomadale immediatè vel antecessisset vel secutum esset: non die Mercurii, quia tum festum expiationis, quod celebratur decimo ejus mensis, foret die *Veneris*, adeoque immediatè sequenti Sabbatho jungeretur. Hoc exemplum solummodò tangit *primum diem* mensis *Tisri*, nempe *festum Buccinarum*, valet tamen etiam per consequens die *decimo quinto*, quo est festum *Tabernaculorum*, quia necessariò decimus quintus est idem hebdomadæ dies, qualis primus fuit. Propterea, si primus non fuit אדו *Adu*, nec decimus quintus fuit. Regula secunda erat, ne *Pascha* celebraretur in בדו, h. e. *die Lunæ*, *Mercurii*, & *Veneris*. Regula tertia erat, ne *Pentecoste* haberetur in גהז *Gahaz*, h. e. die *Martis*, *Jovis*, & *Saturni*. Regula quarta fuit, ne *festum Purim* sive *sorti-*

(†) Tum temporis, cùm Judæorum Magistri & Doctores clavem cognitionis & sibi, & aliis sustulissent, veluti otiosi περίεργοι in minutiis, in argutiis, in disquisitionibus stolidis & ad salutem inutilibus, in genealogiis, & digladiationibus circa expositiones legis &c. operam suam perdidêre, *Tit.* III. 9. 10. Atque tum temporis verisimile est eos hujusmodi regulas elucubrasse, de quibus in S. Scriptura ne γρῦ. Hinc plerumque tot exceptionibus videas obnoxias, quas hominibus debemus, regulas.

Landesbibliothek Oldenburg

sortium agitaretur in זבד *Zabbad*, h. e. die *Lunæ*, *Mercurii*, & *Saturni*. Regula quinta erat, ne *festum expiationum* haberetur in אגו *Agu*, h. e. die *Solis*, *Martis*, & *Veneris*.

XVI. *Transpositio mixta* est, quando partim *Menstrua*, partim *Politica* coïnciduntin mutatione dierum. *Transpositio*, per hanc *mixtionem* seu *concursum* facta, duûm generum est. 1. *Simplex*. 2. *Duplex*. *Transpositio simplex* est, quando festum transpositum est in diem sequentem. E. G. Si Luna mutatur die *Solis* post meridiem, tum festum transponendum est ob duas rationes. *Prima* ratio est *Menstrua*, quia punctum mutationis est post horam יח 18. *Secunda* est *Politica*, quia Regula ארו *Adu* interdicit festum haberi die *Solis*. Nihilominùs, quia dies proximus, nempe *Lunæ* dies, celebrabatur, voco *transpositionem simplicem*.

XVII. Hujus naturæ est *transpositio* illa, quam vocant בטו תקפט *Batu Takphat*. Quæ vox ficta est ad juvandam memoriam; quævis enim litera numerus est, & sic resolvi potest; ב erit 2. טו 15. תקפט 589. Sensus est, quòd sequenti anno ἐμβολιμαίῳ, cui totus mensis intercalabatur, si punctum mutationis incidit in diem secundum hebdomadæ, h. e. diem *Lunæ*, non ante horam decimam quintam, & minuta 589. festum *numeniæ* transponi debuerit in diem *Martis*. Cui usui sit & *transpositio politica* & *menstrua* in hac mutatione, *leg. Scalig. de emend. temp. l. 2. p. 87.*

XVIII. *Transpositio duplex* est, quando festum transpositum est, non in diem proximè sequentem, sed in alium, quemadmodum, si primus dies

dies *Tisri* incidit in diem *Saturni*, & Lunæ conjunctio nondum facta est ante meridiem, tùm *menstrua transpositio* hoc festum rejicit in diem *Solis*, propter horas יח 18. *Politica* verò in diem *Lunæ*, uti patet ex Regula אדו *Adu*, quæ interdixit Sabbatho id haberi.

XIX. Hujus modi est גטרד *Gatrad*; quæ vox est ficta, quâvis literâ designante numerum, sicque resolvi potest: ג erit 3. ט 9. רד 204. Sensus est, in anno vulgari, cui mensis intercalatus non est, si punctum mutationis incidit in diem *Martis*, non ante horam nonam & 204. minuta horæ, *neomenia* transposita est in diem *Jovis*.

XX. Tandem nota, (5) quòd 1080. minuta conficiant unam horam. *Munster. Calend. p.* 45.

XXI. *Festum Tabernaculorum* habebatur mense *Tisri*, propterea non poterat haberi *postridie Sabbathi*, ut patet ex Regula אדו *Adu*. *Pascha* celebratur mense *Nisan*, & propterea id poterat celebrari *postridie Sabbathi*, ut patet ex regula בדו *Badu*. Si quis rationem petit, cur *Pascha postridie Sabbathi* potuerit haberi, non autem *festum Tabernaculorum*? Hanc puto esse rationem. *Posteriores* omnes *transpositiones* pendent ex *prima transpositione neomeniæ Tisri*, quæ non ita poterat transponi, ut evita-

U rentur

(5) Judæi computatores acuti sunt, & horam in tot minutas particulas secare nôrunt, quas nos minuta, illi חלקי ישראל *partes Israel*, seu *scrupula* vocant, quorum, ut Autor ait, 1080. horam conficiunt. Minutum autem nostrum facit 18. talia scrupula.

rentur omnes festorum duorum concursus. Atque ita, cùm *Pascha* haberent *postridie* Sabbathi, licet non omnes, evitabant tamen plurimos duorum Sabbathorum concursus.

XXII. Hæc computatio *transpositionis* festorum partim aperit morem Judæorum in figendis festis, partim illustrat illud, de quo Theologi graviter confligunt, scil. utrùm Salvator noster anticipârit *Pascha*?

XXIII. Ecclesia (†) Græca tenet, Christum die decimo tertio mensis celebrâsse singulare *Pascha* cum suis Discipulis, cùm panis azymus nondum adhiberetur. *Epiph. lib.* 2. *tom.* 1. *cap.* 51. *pag.* 147. Proptereaque utuntur pane fermentato, & inculcant necessitatem ejus in Sacra Cœna, quem usum quidem fermentati panis in Cœna Dominica Ecclesia Romana olim non damnavit. *Casaub. exercit.* 16. *p.* 465.

XXIV. Verùm illam sententiam Græcorum rejicimus. 1. Quia non convenit cum Historia Euangelica. 2. Quia hæc sententia statuit Christum

(†) Quantas turbas dederit illa de paschatis festo, contra naturam N. T. & citra mandatum Christi Apostolorumque instituto, disputatio, ex historia Ecclesiastica patet. *Hæresis quarta decimanorum audivit* illa Græcorum opinio; excommunicatique sunt ob eam à Romano Clero Asiatici. Nec hi minus in re illa nullius momenti zelabant. Scilicet is mos est hypocritarum verorumque hæreticorum, ut religionem veram non in fide & charitate ponentes, ζητήσεις μακρὰς καὶ ἀνωφελεῖς moveant, & mordicus etiam cum damno suo, & proximi, tueantur.

ſtum Legis transgreſſorem, non impletorem. (6)

XXV. Alii dicunt, quòd, quum eo anno *Paſcha* inciderit in diem *Veneris*, id feſtum trajectum ſit in diem *Saturni*, per regulam בדו *Badu. Munſt. in Matth.* XXVI. Prætextus ipſorum eſt, quòd Chriſtus comederit *Paſcha* decimo quarto, h. e. *Veneris*, juxta præceptum Dei; Judæi autem *Paſcha* ſumpſerint die *Saturni* juxta δευτέρωσιν πατρωφάδοτον.

XXVI. Tandem alii ſuſtinent, quod Chriſtus & Judæi eodem die & horâ, ſcilicet die *Veneris*, ſive decimo quarto menſis *Niſan*, *Paſcha* comederint; initium autem diei *Veneris* pro Judæorum ritu ſumendum eſt à diei *Jovis* veſpera, & quidem hora ſexta. *Scalig. de emend. temp. l.* 6. *p.* 266. Die *Veneris* ſummo mane judicio datus eſt, & cruci-

(6) Sine dubio Autor noſter putat, Chriſtum potuiſſe haberi transgreſſorem, ſi *Paſcha* ediſſet ſine azymo; aliàs ſi putaret, Chriſtum ita cenſeri potuiſſe, ubi *Paſcha* anticipâſſet, nec id convenire cum Hiſtoria Euangelica, tum id facilè negamus; imò, ſi Chriſtus non eſſet uſus azymo, (quo tamen uſus eſſe videtur, etſi *Paſcha* anticipârit, quia, ſi licitum fuit duo *Paſchata* habere, etiam licuit piis binos dies azymorum habere, & cum *Paſchate* azymo veſci) quid tum? peccaſſet? abſit. Annon is erat qui Legem tulerat, eamdemque abrogare poterat? an non erat uti Dominus Sabbathi, ita & cæterorum feſtorum? peccavitne, cùm defenderet ſuos Diſcipulos, qui Sabbathum ruperunt, vellicando ariſtas; & quidem, quemadmodum quidam contendunt Sabbatho δευτεροπρώτῳ, h. e. ante poſtriduanum diem *Paſchatis*, quo fruges edere nondum fas fuit?

Landesbibliothek Oldenburg

fixus, & post meridiem circa tertiam, cùm inciperet παρασκευὴ τῶν σαββάτων, humatus. *Ibi propter præparationem Judæorum posuerunt Jesum. Joh.* XIX. 42.

XXVII. Ut conciliemus Euangelistas hac in parte, repetendæ sunt eæ singulares res, quæ fusiùs demonstratæ sunt c. *de Paschate.* I. *Dies decimus quartus* mensis, quo consumebatur *Pascha*, vocatur *primus dies azymorum. Prope erat festum azymorum, quod dicitur Pascha Luc.* XXII. 1. II. Dies decimus quartus non fuit festus vel sacer, sed decimus quintus. *Mense primo, decimo quarto die illius mensis, Pascha Jehovæ* est. *Et decimo quinto die ejus mensis festum Num.* XXVIII. 16. 17. *Quidam putabant, quia Judas habebat* γλωσσόκομον *thecam, quòd Jesus ei dicit: Eme, quibus opus habemus ad festum Joh.* XIII. 29. III. Oves & boves, qui hoc die immolabantur, (7) vocantur *Pascha Deut.* XVI. 2. Et

(7) Jam hæc *capite de Paschate* discussimus & probavimus, *Deut.* XVI. 2. 2. *Chron.* XXXV. 7-9. boves non posse pro *Paschate* sumi; item *capite de Pentecoste* assertum est Christum anticipâsse *Pascha*, scil. die *Jovis* vesperâ, & crucifixum die *Veneris*, quô Judæi suum sumpserunt *Pascha*, jacuisse in sepulcro per Sabbathum, resurrexisse autem die solis, seu feriâ primâ. Quid hâc sententiâ convenientius S. Scripturæ? Quid commodius resolvendis tot nodis? Quod autem *Pascha* duplicari & anticipari jure potuerit à religiosis hominibus, hoc ὀφθαλμοφανῶς demonstravit Cel. *Coccejus. Christianus Gerson in libro Germ. Helmstadii anno* 1607. *impresso*, *fol.* 21. 22. ait: *Sadducæos, ut Pharisæos in plebis odium impellerent, primò falsos conduxisse testes, qui nuntiarent visam novam Lunam; verùm, deprehenso*

Et hoc respectu *Johannes* intelligendus est *cap.* XVIII. 28. *Et illi non intrabant* εἰς τὸ πραιτώριον *in curiam, ne inquinarentur, sed ut comederent Pascha*; Sic ut hæc *Paschatis* comestio non intelligi debeat de *agno Paschali.*

XXVIII. Verùm quærere hîc quis posset, quomodo inquinari potuissent introeuntes Prætorium? Resp. Vesperis sacrorum dierum, quas vocabant *dies præparationis*, illicitum fuit Judicibus decidere criminalia in Curiis. אין דיני נפשות לא בערב שבת ולא בערב יום טוב *Nulla exercentur judicia capitalia vel vesperâ Sabbathi, vel etiam vespera diei festi.* (8) *Moses ben Maimon. lib. ult. Jud. c. Sanh. Sect.* 11. Hinc Jesum deducunt ad Pilatum, Præsidem Romanum, abstinentque

benso falsiloquio, missos in montes altissimos esse fideles viros, qui visâ Lunæ face ignem excitarent; sed præoccupâsse Sadducæos montes, lignoque accenso falsum rursùs signum incolis dedisse; proinde visum esse τῷ *Sanhedrin mittere in omnem terræ plagam viros probos, qui nunciarent Judæis, ut duos dies observarent, (quia Luna uno sæpè die tardiùs apparet) ne falli possent; cives autem Hierosolymitanos veteri mori inhæsisse; quin & hac de causa Judæos hodieque festum* Paschatis *octo*, Pentecostes *duo*, & Tabernaculorum *novem diebus feriari.*

(8) *Coccejus in Sanh. c.* 4. §. 1. *not.* 8. hanc rationem hujus canonis ex *Gemara* adducit: *Quia alioqui decisio judicii in Sabbatho existeret. Jam autem proferre diem morti damnati nefas est, propter afflictionem judicii. Neque eodem die supplicium capitis ab eo sumi potest, siquidem quatuor supplicia capitalia Sabbathum non urgent. Nam præceptum hoc, non accendetis &c. Exod.* XXXV. 3. *evincit, ustionem Sabbatho non exerceri. Atque idem jus est reliquorum,* τῶν ἐπὶ θανάτῳ.

Curiâ, quapropter etiam dicunt *Joh.* XVIII. 31. *Non licet nobis occidere quempiam*; h. e. tali & ejusmodi die. (9) *August.* 14. *tract. in Joh.* Ita hunc locum exponunt quoque *Cyrill. lib.* 12. *in Joh.* VI. *Chrysost. Homil.* 12. *Beda in Joh.* XVIII.

XXIX. Nam etiamsi *Synedrium* ipsorum, seu Senatus magnus, eâ tempestate oppressus esset, nihilominùs omnis potestas in rebus capitalibus ipsis abrogata non erat, uti docent verba sequentia vers. 32. *Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans quali morte moriturus esset.* Qui textus ostendit, quòd illud τὸ οὐκ ἐξεῖναι *illicitum*, per singularem Dei providentiam tùm evenerit, ut possit à Pilato judicari & crucifigi. Nam, si Judæi

(9) Non credibile est, Judæos petiisse ministrum crucifixionis Pilatum, quoniam ipsis eo die non licuerit occidere quemquam. Quid? si licuit ipsis eo die Jesum condemnare, & ad Pilatum rapere, cur non etiam interficere? At dicunt *Joh.* 18. Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν. Ergo Judæi nullum jus habebant criminalia exercendi. Et in *tract. Sanh.* ipsi fatentur XL. annis ante excidium urbis capitalia judicia ablata sibi fuisse. Imò verò, si habuerunt potestatem Jesum occidendi, cur vinxerunt, cur adduxerunt ad Pilatum? Illa ratio deductionis, quam Patres adferunt, debilis est, ut & illa, quam ex *Chrysostomo* Autor subjungit; nam Lex præcepit aliquos maleficos suspendi: illudque necis genus Regibus Judæorum usitatum fuit, qui vivos in furcam egêre. At hoc unum rem decidere videtur, quòd Pontifex ne cogere quidem *Synedrium* poterat absque sententia Præsidis, multò minùs de capite sententiâ ferre. Vid. *Joseph. de antiq.* l. 20. c. 8. Objectiones contra hanc sententiam, quas suppeditant dissentientibus loca quædam S. Scripturæ, *capite de pœnis capitalibus* discutiemus; ubi videbimus, Judæos nullam in capitalibus potestatem tempore Christi habuisse.

Landesbibliothek Oldenburg

dæi fuissent Judices, non affecissent reos tali mortis genere. Rursùs, *Stephanus* ab ipsis damnatus est ad lapides *Act.* VII. 58. Et questi sunt coram *Felice*; quòd, cùm voluissent *Paulum* secundùm suam legem judicare, *Lysias* Chiliarcha ipsum ex manibus suis vi magnâ extorsisset. *Act.* XXIV. 6. 7. Quæ testantur, quòd non omnis potestas circa capitalia ipsis adempta fuerit. Sed de his plura *cap. de pœnis capital.*

CAP. VIII.

De Festo Expiationum.

I. DEcimo die mensis *Tisri*, qui respondet nostro *Septembri*, præceptum est celebrari *festum* (†) *expiationum Levit.* XVI. 23. 27. 29.

 ita

(†) Hoc festum vocatur *Hebr.* יום הכפרים *Dies Expiationum, obliterationum, purificationum, propitiationum*; Et insigne præsidium præstat contra *Socinianos*, explicante mysterium hujus festi Paulo. Coll. *Lev.* XVI. 33. cum *Hebr.* IX. 23 26. Hinc כפר exponitur à LXX. & Apostolo per ἱλάσκειν, καθαρίζειν, ἁγνίζειν. Nec frustrà est, quòd ea vox propriè notet *obtectionem, obductionem*, quæ fit *camphorâ*, *Græc.* καφύρᾳ, pice, vel bitumine, ex arbore defluente. Hinc כֹּפֶר significat [1] *tectorium Gen.* VI. 14. & [2] *pretium redemptionis*, sive λύτρον, ἀντάλυτρον. *Prov.* XIII. 8. coll. *Job.* XXXIII. 24. *Hebr.* IX. 12. Dignumque notatu, quòd LXX. כֹּפֶר λύτρον *Prov.* XXI. 18. interpretentur per περικάθαρμα, q. d. sacri-

Landesbibliothek Oldenburg

ita dictum, quòd Pontifex eo die confessionem faceret coram Deo suorum peccatorum & Israelitarum, & peragendo certos ritus & ceremonias expiaret ea, eorumque remissionem impetraret à Deo.

II. Ceremoniæ, quæ eo tempore usurpabantur, concernunt vel *populum & sacerdotem*, vel *sacerdotem tantùm*. Illæ, quæ concernunt *populum & sacerdotem*, consistebant *in afflictione animarum* ipsorum, quæ fiebat *jejunio*; unde ipsum festum vocatur *dies jejunii. Joseph. de B. J. p.* 43. Quod illustrat textum *Act.* XXVII. 9. *Navigatio erat periculosa ob id, quòd jam præteriisset ἡ νηστεία jejunium*, h. e. *festum expiationis* jam elapsum erat, imminente brumâ.

III. Ceremoniæ, quæ concernebant *Sacerdotem tantùm*, duæ erant. 1. Tunc intrabat Pontifex *Sanctum Sanctorum*, qui introïtus proprius fuit huic festo. 2. Is, sacrificaturus pro se & pro sua familia *juvencum subrumum peccati & arietem in holocaustum*, induebatur vestes Sacerdotales; lotusque accipiebat à cœtu Israelis *duos hircos caprarum in peccatum & arietem unum in holocaustum*.

IV. Is hircos istos stitit coram facie Jehovæ, ad

sacrificium purificans, pro alio oblatum; Et *Esa.* XLIII. 3. per ἄλλαγμα, ἀντάλλαγμα. Ut enim tegmine cooperiuntur, quæ displicent, ita τῷ λύτρῳ Christi Mundi peccata; ut nobis parcere Deus possit. Latinorum autem *Pio expio*, est à θύω teste *Vossio in Etymol.* Hinc *Piatrix* est *Sacerdos* fœmina, quæ expiare solet.

Landesbibliothek Oldenburg

ad portam tentorii conventûs, sortem jaciens, uter sacrificari, uter verò dimitti debeat vivus. Hic posterior vocatur *hircus emissarius* עַזָאזֵל (1) *Gnazazel*, ex עַז *capra* & אָזֵל *R. D. Kimchi in radic.* quia altero jugulato ipse in desertum emittebatur.

(1) Celebris quæstio est inter Doctos, utrùm *Azazel* hircum notet, an aliud quid? Sunt, qui ipsum montem, de quo dejectus est hircus ille, ita dici volunt. Vid. *Cocc. Comm. Hebr.* 9. §. 24. Alii, ut *Bochartus*, derivant ex Arabismo, quasi לעזאזל diceretur pro εἰς ἀποχωρήσεις *ad separationes*, h. e. ad locum desertum destinatus. Verùm hæ sententiæ sponte cadunt, ut & hæc, quam Autor cum aliis proponit, quasi ipse caper dictus sit *Azazel*. Nam, etsi eo modo vocabulum *Azazel* derivetur, ut radices sint אָזֵל & עַז, incommodè tamen de isto *hirco emissario* dicitur, quia verba Mosis apertè cum ea opinione pugnant; nam *Lev.* XVI. 8. ita legimus: *& dabit Aaron super duobus hircis sortes, sortem unam* לַיהוָה *Domino, & alteram sortem* לַעֲזָאזֵל *Azazeli*; Sic ut postremum vocabulum de *hirco emissario* capi non possit, nisi quoque לַיהוָה de priori hirco, qui mactabatur, capiatur, sed μὴ γένοιτο! Meliùs ergo alii per עַזָאזֵל intelligunt eum, quem Gentes in *Faunis* & *Hircis* bifidis coluêre, h. e. Diabolum, qui abiit à principio suo & ἀποστάτης dicitur, quique hic לַיהוָה opponitur. Hîc longum possemus excurrere, sed de animadversionibus auris vellitur. Tantùm videatur ante omnes Cl. *Cocc. l. cit.* & *Lev.* XVI. & alibi. Brevibus. Quid ergo notârit *hircus emissarius*, variæ ferun-

tur

V. Græci Interpretes vocant hunc hircum Ἀποπομπαῖον *malorum depulsorem* (quo nomine Gentiles suos Deos tutelares insignierunt) opinanturque,

tur opiniones. Alii per eum, ut vivum, *Divinam Christi Naturam*, cum quibus facit Autor, intellexêre, quæ est ἀπάθητος *passionibus non obnoxia*. Alii *Christi animam*, quæ non occisa, attamen contrita fuit. *Esa.* LIII. 5. Alii *Barrabam*, qui dimissus est, condemnato Jesu nostro. Non examinabimus has sententias, satis est proposuisse. Restant duæ probabiliores; quarum una per *hircum emissarium* intelligit *populum immorigerum*, h. e. Israelem, de quo dicitur *Deut.* XXIX. 20. quòd sit separandus, si contendat cum Christo de jure προσαγωγῆς πρὸς τὸν Θεόν *accessus ad Deum*, scil. si vel putet, non opus esse, ut Christus pro peccatis mactetur, sed posse nos cum fiducia carnali & cum operum nostrorum justitia adDeũ appropinquare; vel si putet, non opus esse, ut vetus homo cum Christo mactetur, sed posse nos vitulari, & ipsum non sequi. Verùm etsi invitus discedam ab hac sententia, tres tamen difficultates cogunt, quæ facilè ex ipso *Cocc. Comm. Hebr.* IX. 24-38. observari possunt. 1. Quia sors jacta est super *hirco emissario*, utrum Deo an Diabolo esset cessurus; atqui, si Israel rupem salutis esset contempturus, nullum dubium erat, quin *Azazeli*, h. e. Diabolo, tradendus foret. 2. Quia ille *hircus* dicitur portare omnes iniquitates Israelis. *Levit.* XVI. 22. An autem σκεύη ὀργῆς *vasa iræ* dici possint auferre peccata populi fidelis, à me impetrare non possum. 3. Quia *Levit.* XVI. 10. dicitur: *Hircus emissarius sistetur coram Jehova vivus*, לְכַפֵּר עָלָיו *ad expiandum super illum*. Quæ phrasis quidem, ut utar verbis ipsissimis *Cocceji l. c.* §. 33. non potest reperiri usurpata, nisi vel de personis, pro quibus expiatio fiebat, ut remitteretur ipsis, vel de instrumentis sacri cultûs &c. ut purificarentur; num verò congruè illa phrasis de Judæis in radice expiatis, an de Judæis olim expiandis, adhiberi queat, in medio

turque, quòd *hircus emissarius*, peccata populi in desertum efferens, simul abstulerit mala pœnæ, quæ mala culpæ consequuntur. Et ad confirmandum hac in parte populum, jussit Deus Pontificem confiteri peccata nomine totius populi, & omnia peccata totius cœtûs rejicere in caput *hirci emissarii*.

VI. Forma confessionis juxta Magistros Hebræorum ita habuit: *O Domine, populus tuus, domus Israel, peccavit, rebellis fuit, & deliquit coram facie tua: Nunc te rogo, ô Domine, condona peccata, rebelliones, & delicta, quibus populus & domus Israel peccavit, rebellis fuit, & perversè egit coram facie tua, sicut*

medio relinquo. Ne mihi hîc quis obstrepat: *Sus Minervam.* Potest autem & alia sententia ex Cel. *Cocc. Comm.* l. c. §. 25. & 26. commoda satis erui; quâ statuatur Christus figuratus per utrumque *hircum.* 1. Hircus mactatus notabit *traditionem* eam, quâ se ipse tradidit, vel quâ traditus est ὡρισμένῃ βουλῇ *prædefinitâ voluntate* Patris, ut pro peccatis nostris mactaretur. *Act.* II. 23. Et 2. *hircus emissarius* notabit illam *traditionem*, quâ Christus traditus est *Azazeli*, Diabolo exagitandus, & à serpente mordendus; imò, quâ traditus est in desertum, h. e. Gentibus; nam in S. Scriptura sæpius *Terra* sumitur pro *Ecclesia Dei*, desertum autem pro illo populo, apud quem non floret cognitio Dei, sed horrescunt & inculta sunt omnia. Sic Christus traditus est Gentilibus, Romanis, Pilatoque, qui ipsum quidem ceciderunt flagris, voluerunt tamen vivum ἀπολύσαι *dimittere Luc.* XXIII. 20. Consule Disput. posteriorem Cl. D. Frischmuth / *de Hirco Emiss.* ubi cap. 1. §. 19. sententiam *Cocceji* mollibus verbis debellat. Præprimis autem velim, in binario isto *Hircorum*, *avium* &c. numero, attendi ad duplicem in nobis hominem, *Externum* & *internum*, *veterem* item & *Novum*, quorum ille mactatur, hic absolvitur, licet à Diabolo in deserto tentandus.

Landesbibliothek Oldenburg

sicut scriptum est in Lege servi tui Mosis; Eo die expiaturus vos est, ut vos mundet, & vos mundabimini ab omnibus vestris peccatis coram Jehova. Lev. XVI. 30. *Vid. P. Fag. Lev.* XVI.

VII. Hodierni autem Judæi, quum non possit destructo templo Hierosolymitano sacrificium ritè offerri, si sunt viri, capiunt *gallum gallinaceum* album; si fœminæ, *gallinam*. Hunc *gallum* ter circumagunt circa caput Sacerdotis, dicentes: *Gallus gallinaceus hic commutatio erit pro me. Buxtorf. Synag. cap.* XX. Postea mactant *gallum*, confitentes se morte dignos esse, jactisque supra tecti culmen intestinis, sperant corvos & cornices ea surrepturos, & simul ipsorum peccata ablaturos in deserta. Ne autem videantur sine ratione insanire, promunt rationem hanc ex theca rationis, cur hoc tempore *gallum* eligant. Vox גֶּבֶר in Sacra Lingua notat *virum*, in Talmude *gallum*. Dicunt igitur; Dei justitia requirit, ut quemadmodum גֶּבֶר peccavit, ita גֶּבֶר satisfaciat.

VIII. (2) Verisimile est Græcos ex hoc *festo expiationum* sumpsisse *expiationem annuam* civitatum sua-

(2) Hinc inde in Sacris Gentilitiis deprehendimus vestigia rituum Judaïcorum, quos aut Satanas aut homines inter Judæos versati & ad patrios lares reversi invexere. Huc facit, quòd Græcis Romanisque antiquis ζῶα ἄφετα *animalia libera* fuerint, quæ, Deorum tutelæ & sibi permissa, impunè & sine pastore errabant. Vid. *Liv. l.* 24. c. 3. Quod sine dubio hauserunt à Judæis hircum liberum dimittentibus in desertum. Utrùm autem Judæi illi peperce-

suarum, quæ hoc modo fiebat: Homines quidam damnati producebantur redimiti sertis secundùm morem sacrificiorum. Hos ex præcipiti loco deturbant in mare, Neptuno consecrantes, hisque verbis utuntur: Περίψημα ἡμῶν γενοῦ, *Sis pro nobis peripsema. Suidas* in voce περίψημα.

IX. Eamdem expiationis speciem adhibebant Gentes tempore pestilentiæ, vel mali inficientis; cujus repellendi gratiâ suis dîs sacrificabant quosdam, quos vocabant καθάρματα; Καθάρματα ἐλέγοντο, ὅτι ὑπὲρ καθάρσεως λιμοῦ τινος, ἢ τινὸς ἑτέρας νόσου θυόμενοι Θεοῖς, *Katharmata dicebantur, quia in expiationem*

percerint penitus & ad pastum in deserto liberum duxerint, an verò de rupe, ut ipsi ajunt, egerint præcipitem, dubitatur. Si hoc, non ambigitur, quin Gentiles hinc didicerint sua καθάρματα sic præcipitare. Sed graves viri mendacium subesse putant, quod de isto *hirco* Judæi fabulantur. Audiamus *Cunæum de Rep. Hebr. l.* 2. c. 6. *Tradunt Judæi*, ait, *eum hircum magno molimine in desertum ab alienigena quopiam deductum, ac mox de summo monte detrusum ad ima esse. De tabernaculis quoque, ab urbe Jerosolyma usque ad desertum dispositis, nescio quid loquuntur, in queis consederint, qui hircũ identidem escâ reficerent. Tum & funiculũ, cujus pars altera cornibus hirci, altera deligata ad scopulũ fuerit, atque etiam colorem funiculi, & id genus multa alia describunt, quæ profectò mecum ignorant. Alias insuper ceremonias, hoc in festo usitatas, de secluso Pontifice, de* סִגָּן *vicario Pontificis, ubi hic impurus factus est, de funiculo illo, de hirci exagitatione, de deturbatione de rupe &c. latiùs exequuntur, Sheringhamius codic. Joma.* c. 1. qui tamen Rabbinorum sententiam fovet; Cel. Frischmuth. l. c. *Ursinus Anal. Sac.* l. 1. c. 28. & *passional.* p. m. 234. Quod attinet τὰ περικαθάρματα καὶ περίψήματα, de iis quidpiam reliquit *Ursinus l. c. cap.* 29.

tionem famis alicujus, aut alicujus alius morbi sacrificabantur Diis. Vetus Scholiast. in *Aristoph. Plut.* p. 48. Hæc duo vocabula adhibet Apostolus 1. *Cor.* IV. 13. & vertuntur *sordes & excrementa: Facti sumus* περικαθάρματα & κόσμου *excrementa, purgamenta mundi,* καὶ πάντων περίψημα & *omnium sordes, ramenta.* (†) Verba significant propriè *sordes* sive *cœnum*, quæ expurgantur verrunturque ex pedibus hominum aut ex areis. Sed juxta opinionem *Budæi annotat. reliq. in pandect. de pœnis p.* 334. Apostolus respexit istam expiationem, quâ utebantur Gentiles; q. d. Ita despecti sumus, & sic exosi populo, sic onerati contumeliis & maledictionibus multitudinis, quemadmodum τὰ καθάρματα, homines illi, qui publicæ expiationis gratiâ sacrificantur.

X. Jam quia Pontifex in hoc festo præprimis gessit figuram & typum Christi, è re erit annotâsse convenientias inter typum & antitypum, umbram & veritatem. *Aaron.*

(†) Quemadmodum Christus execrabilis homo, & pestilentissimus πλάνος *seductor* habitus est, à quo quisque os oculosq; avertebat, projectis in ipsum omnis generis convitiis, blasphemiis & execrationibus, ita omnibus, *qui volunt piè vivere* ἐν χριστῷ Ἰησοῦ *in & cum Christo Jesu*, nimirum non superficialiter & trito more sed ut Christi membra & imitatores γνήσιοι, *persecutio* similis exantlanda est. Ludentur, ridebuntur, stulti, insani, plani, blasphemi, habebuntur; Spectaculo, proverbio, fabulæ, cantilenæ erunt omnibus. Et tanquam purgamenta & sordes si non ejiciuntur extra castra, speciali Dei ductui & privilegio dandum est. 2. *Tim.* III. 12. *Esa.* VIII. 14-18. *Joh.* XVII. 6. *Ezech.* XII. 11. *Hebr.* XIII. 13. &c. Alio tamen modo eos vexandos & contundendos Deus censet.

Landesbibliothek Oldenburg

Aaron.	Christus.
I. Pontifex intravit Sanctum Sanctorum Levit. XVI. 3.	I. Christus noster Pontifex intravit εἰς ἅγια in Sanctuarium, scil. in cœlum Hebr. IX. 12. 24.
II. Semel quotannis intravit Exod. XXX. 10.	II. Is semel intravit, ibidem.
III. Hic δι' αἵματος τραγῶν καὶ μόσχων per sanguinem hircorum & vitulorum Hebr. IX. 12.	III. Is per sanguinem proprium, ibidem.
IV. Hic μόνος solus Hebr. IX. 7.	IV. Is calcavit torcular לְבַדּוֹ solus ipse Esai. LXIII. 3.
V. Hic per diductum velum.	V. Is διὰ τῆς σαρκός. Hebr. X. 20.
VI. Hic vestitus erat Sacerdotalibus vestibus Levit. XVI. 4.	VI. Is prædefinitus & obsignatus ad hoc munus à patre ἀπ' ἀρχῆς ab æterno.
VII. Hic accepit duos hircos Lev. XVI.	VII. Is duas assumsit naturas. Ἀπάθειαν impassionabilitas Deitatis figurabatur hirco emissario. Παθήματα passiones autem Humanitatis, hirco, qui mactabatur. Theod. quæst. 12. in Levit.
VIII. Hircus portavit populi iniquitates.	VIII. Christus pro nobis factus est peccatum 2. Cor. V. 21.

CAP.

CAP. IX.

De Anno Sabbathico, seu Quiete Septennali.

I. QUemadmodum quovis *septiduo Sabbathum* fuit, ita quovis *septennio annus Sabbathicus. Lev.* XXV. 24. Et quemadmodum *Sabbathum* signum erat, quòd Domini essent, propterea que cessabant ab operibus suis, ut agerent opus Domini: ita *annus Sabbathicus* signum erat, quòd & ipsi, & ipsorum terra Domini essent.

II. Observatio hujus festi consistebat præcipuè in duobus. I. In ἀγεωργησίᾳ *agriculturæ cessatione*, unde vocatur שַׁבָּת הָאָרֶץ *Sabbathum terræ Lev.* XXV. 6. II. In *remissione debitorum* facta à creditoribus, unde vocatur שְׁמִטָּה לַיהוָה *Remissio Jehovæ Deut.* XV. 1. 2.

III. Quum hoc anno ipsis agricultura interdicta fuerit, quæri hîc possit, quâ re vesci potuerint eo durante? Resp. *Amandabo benedictionem meam vobis in anno illo sexto, & proferet proventum in tres annos Lev.* XXV. 21. (1)

IV. Quo-

(1) Non putem, Deum semper dedisse Judæis anno sexto uberiorem messem, sed illa verba *Lev.* XXV. 21. pendere à conditione, quæ ponitur vers. 38. Hinc Judæi toties in angustiam adacti sunt ab exteris Regibus, qui pecunias imperabant, quam Judæi non nisi ex terræ suæ frugi-

IV. Quoniam quovis anno septimo debita remitti debebant Dei jussu, quæri quoque potest, annon res eorum, qui dabant mutua, hâc ratione accisæ fuerint? aut annon ipsorum corda sint occlusa, ne mutuum erogarent? Resp. Hoc pacto ipsorum res non attenuabantur, nam certa firmaque hæc est Maxima & Regula; *Non amittitur, quo Deus colitur.* Quare Hebræi ipsi dicunt, hoc esse potiùs *Mandatum probationis*, quale Deus dedit Abrahamo, non ut obtruncaretur Isaacus, sed ut Abrahami amor & fides tentaretur, quàm *Mandatum obedientiæ*; hoc respectu ait *Aben-Esra*, interpretans hæc verba; *Penitùs non erit egens in te. Deut.* XV. 4. *Hoc tantundem est*, ait, *acsi Dominus dixisset: Scitote, illud, quod vobis præcepi de non urgendo & admonendo fratre, non frustra esse. Si totus Israel, vel plurima illius pars obsecundabit voci Jehovæ; tum non erit mendicus inter vos, cui necesse sit dari mutuum, imò vos omnes poteritis mutuare gentibus multis. Aben-Esra in Deut.* XV. 4.

X V. Ra-

frugibus conficere poterant. Quare factum, ut Judæi Alexandro, qui beneficium ipsos petere jussit, significârint, nihil sibi posse majus dari, quàm uti ne Rex septimi anni tributa exigeret. *Cunæus de Rep. Hebr. l.* 1. *c.* 4. Jam, si Deus Judæis tum temporis anno sexto dedisset messem in tres annos, cur non æquè potuissent Judæi septimo anno tributa pendere, quàm cæteris annis? Exterorum illo tributo compulsus R. Jannæus edictum proposuit hoc: *Exite, seminate anno Sabbathico tributi nomine.* Vid. *Cocc. Sanh. cap.* 3. *not.* 1. *§.* 3. Unde patet, Deum ipsis non dedisse semper luxuriantem messem *anno Sabbathico*, aliàs tam facilè *anno Sabbathico*, quàm reliquis, tributa dare potuissent.

Landesbibliothek Oldenburg

V. Rationes instituti (2) hujus festi censentur esse. I. Ut doceretur populus per fidem pendere à providentia Dei; nam licèt ipse Dominus agri potuerit colligere ex proventu spontaneo ad

(2) *Annus* ille *Sabbathicus*, ut omnia Festa, umbra fuit futurorum bonorum: multa ergo significavit. I. *Sex periodos* esse in V. T. & tum sequi σαββατισμόν N. T. & שְׁנַת רָצוֹן ἐνιαυτὸν δεκτόν *annum acceptum Luc.* IV. 19. *Esa.* LXIII. 4. II. Judæos circa nativitatem Christi, (h. e. circa periodum sextam) qui esset comesurus lac & mel, in summa rerum copia adeoque in uberrima messe constitutos fore. III. Animalia, h. e. *Gentes carentes illuminatâ ratione Act.* X. 12-35. participatura fruges agri, h. e. Ecclesiæ, & communem cum Israele septimo anno, h. e. post sextam periodum, habitura fuisse cibum, quemadmodum Israelitis & animantibus promiscuus cibus fuit in agro *Lev.* XXV. 6. 7. IV. Illa animalia, h. e. Gentes, non anhelatura esse sub gravi Legis jugo, quemadmodum *anno Sabbathico* boves non subibunt jugum & agros; sed tantùm spontaneos proventus pascebantur. V. Gentes, quæ erant servi Diaboli, & Israelitas, qui erant servi Legis, liberandos per utrorumque verum Dominum Jesum Christum. Et propterea VI. non futuros ampliùs נוֹגְשִׁים *Exactores* ἐργοδιώκτας, οἰκονόμους, qui etiam vocantur מְחוֹקְקִים *Legislatores*, מוֹשְׁלִים ἄρχοντας τοῦ αἰῶνος τούτου *Moderatores hujus seculi*, qui exigerent obedientiam Legis, & quasi chirographum debitorum imperarent *Zach.* IX. 8. X. 4. Quemadmodum Lege præcipiebatur: לֹא יִגֹּשׁ אֶת רֵעֵהוּ *non exiget à proximo suo Deut.* XV. 2. Belg. Hy en sal synen naesten niet maenen. VII. Expectandum adhuc esse periodo septimâ N. T. *Sabbathum* magnum, quo omnes bestiæ agri, h. e. omnes nationes, quæ Christum planè non nôrunt, aut nosse putant, vescentur iisdem frugibus, & comedent communem

ad sustentandum se & familiam suam *Lev.* XXV. 6. non tamen ei permissum erat conserere agrum, ditiorem messem faciendi causâ; nec eidem licuit agrum suum metere, nec in horrea cogere ad fruendum propriis reditibus, sed omnia omnibus promiscua & communia erant, & quivis manum suam in agrum quemcunque immittere poterat. II. Ut meminissent felicis illius conditionis, quâ gavisus fuerat Adamus in statu innocentiæ suæ, cùm terra sponte, sine γεωργίᾳ, fructus ederet. III. Ut figura & signum esset æterni *Sabbathi*, quod exspectamus in cœlis.

VI. Hic quidam putant fundatam esse sententiam *S. Eliæ*, scil. *mundum staturum sex mille annos, & anno millesimo septimo futurum magnum annum Sabbathicum. Hospin. de Orig. hujus festi.* Sex mille anni

 respon-

munem panem Jesum, & delibabunt unam eamdemque uvam vitis cœlestis. Præterea hæc cessatio à cultu terræ, utor verbis hîc Cl. *Cocceji*, per integrum annum habuit usum 1. *Oeconomicum*, ne terra planè exhauriretur. 2. *Ethicum*, ut ea, quæ in agro nascerentur, charitatis causâ facerent communia, & quasi publicarent. 3. *Ecclesiasticum*, sive ad profectum pietatis, ut toto anno viverent tanquam liberi, aut nobiles, non ut rustici & agro servientes, atque ita haberent occasionem eò diligentiùs legendi & scrutandi Legem Dei & Prophetas, liberati ab omni alia occupatione. Præterea fuit in illa cessatione etiam symbolum sive figura illius temporis, quo illam terram erant relicturi, & in mundo victuri beneficio Divinæ providentiæ cum ἀυπαρκείᾳ, non habentes ubi sererent aut meterent, ad quod tempus illos voluit esse paratos, ex quo terram inciperent possidere.

Landesbibliothek Oldenburg

respondent (†) sex profestis diebus, millesimus septimus *Sabbatho*, juxta illud 2. *Pet.* III. 8. χίλια ἔτη ὡς ἡμέρα μία. Verba Eliæ istius hæc sunt: *Sex mille annis stabit mundus, & rursus corruet.*

ב אלפי תוהו ב אלפי תורה ב אלפי ימות המשיח

Duo millia inanitatis, duo millia Legis, duo millia dierum Messiæ erunt. *Talmud. in Sanhed. cap. Helec.*

VII. Licèt summam hujus prophetiæ rejiciamus, ut nimis curiosam, nihilominùs tamen, quum Judæus loquatur, hoc inservire potest & evinci contra ipsum, 1. Messiam jam venisse. 2. Ipsius adventu Legem Mosis silere.

CAP.

(†) Neminem esse putem, qui veritatem illorum verborum neget, quæ occurrunt *Sap.* XI. 20. Πάντα μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σταθμῷ διέταξας, *omnia mensurâ & numero, & pondere ordinasti* Deus. Certè numerum septenarium esse sacerrimum, & quasi cœterorum axem, neminem fugit, nisi hospitem in literis sacris. Quin omnes numeros ab unitate ad Denarium &c. mysteriis scatere, gravissimi Autores produnt. Præ multis aliis lege, si lubet, *Theologiam Christianam in Numeris Cl. viri J. C. Langii.* Verosimile ergò est, Sex creationis Dies typos esse illarum sex Chiliadum, quibus Deus in œconomiis suis gradatim, ad restaurationem renovationemque aversæ à se & deturpatæ Creaturæ, procedit. Cur enim illa *Psalmi Petrique* verba non κατὰ λέξιν intelligamus, nisi forsan nobis timeamus de nomine & μορμολυκείῳ Chiliasmi?

CAP. X.

De Anno Jubilæo.

I. HOc est ultimum festum, quòd Deus Judæis præcipit. Celebratum fuit quovis *anno quinquagesimo*, institutumque *Levit.* XXV. 8. *Numerabis tibi septimanas annorum, septem annos septem vicibus &c.*

II. Vox *Jubilæi* descendit ab Hebraïca יוֹבֵל, notante *arietem*, ut & *cornu arietinum*: *septem Sacerdotes gestabunt septem buccinas arietinas coram arca*, *Jos.* VI. 4. ubi vox יוֹבְלִים occurrit, & à Paraphraste Chaldaïco vertitur *cornua arietina*. *Marbachius in Lev.* XXV. putat, quòd hic annus *Jobel* vocetur à יוּבַל *Jubal*, primo inventore instrumentorum musicalium, de quo legimus *Gen.* IV. 21. *Jubal fuit pater omnium tractantium citharam & organon.*

III. Alii (1) Autores aliam hujus etymi rationem dant; sed verisimillimum est, quòd hic annus

 vocatus

(1) Quidam deducunt יוֹבֵל ab הוֹבִיל *adduxit*, *reduxit*, quòd hoc anno abalienata rursùs ad pristinos dominos adducerentur. Alii rursùs deducunt ab הוֹבִיל *duxit*, quòd *Jubilæo* sonus tubarum in totum terram ductus sit *Lev.* XXV. 9. Sed firmiore talo alii cum Autore probant יוֹבֵל significare *arietem* & quoque *cornu arietienum*, unde

vocatus sit *Annus Jobel* à יוֹבֵלִים *cornibus arietinis*, quorum clangor tum temporis totam regionem personabat. *Lev.* XXV. 9.

IV. Quinque præcipua hujus festi adjuncta sunt. 1. Generalis manumissio servorum. 2. Revolutio agrorum domorumque ad primos possessores, qui ea antea vendiderant. 3. Hoc modo custodita est distinctio Tribuum, redeuntibus nempè agris ad primos dominos, in suis quosvis tribubus; servisque ad suas familias. 4. Sunt, qui autumant, quòd, quemadmodum Græci

unde *Jos.* VI. 4. Chaldæus יוֹבֵל transfert קֶרֶן דְּכַרְיָא *corna arietis*. Angl. ibid. seven trumpets of ramshorns. Et quòd שׁוֹפְרוֹת הַיּוֹבְלִים ita debeant verti, patet ex vs. 5. Unde haud benè transtulit Luth. Sieben Posaunen des Hall-Jahrs; quasi Josua respexisset ad *annum Jubilæum*, cùm *annus Jobel* in Sing. non in Plural. veniat in S. Scriptura. Expressè *Exod.* XIX. 3. יוֹבֵל ponitur pro σάλπιγγι *tuba*, sed hoc loco citra dubium metonymia est, & adhibetur vox יוֹבֵל pro חֲצֹצְרוֹת *buccina*. At, qualis *buccina* fuerit, quâ usi in hoc *Jubilæo*, docet nos hodiernorum Judæorum mos, qui die expiationis, quo inchoat *Jubilæus*, *cornua arietina* inflant, in memoriam *Jubilæi*. *Baxtorf. Syn.* c. 21. Adeo ut mirer viro celeberrimo haud verisimile videri, tubas ex cornibus arietinis confectas fuisse. Forsan putat nostros in Europa arietes Asiaticis æquales? Sed *Busbequius* & alii docent, quanti ponderis & pinguedinis arietes in Asia deprehendantur. Cornibus autem istis usi sunt in signum lætitiæ, quòd tùm redeat ad Dominum quod fuit ante suum. Atque sic patet, rectius *Jobilæum*, quàm *Jubilæum* dici, quemadmodum etiam *Josepho* ἰωβήλιος ἐλευθερία dicitur.

Landesbibliothek Oldenburg

Græci sua tempora computabant *Olympiadibus*, Romani *Lustris*, Christiani *Indictionibus*. (2) Ita Judæi *annis Jubilæis* sua tempora numerârint. *Hospin. de Orig. fest. c. 9. 5.* Figurabat (3) mysticè spiritualem *Jubilæum*, quo gaudent Christiani sub Christo,

X 4 cujus

(2) *Olympias* quævis, ut & Romanorum *Lustrum*, erat *spatium quinque annorum*; *Indictio* quindecim. Anno Christi 313. mense *Septemb.* cùm Constantinus, Maxentio Tyranno ad pontem Milvium victo, & religione Christianâ in libertatem assertâ, Synodum Nicenam convocâsset, institutum est, ut annorum ratio ab illo tempore *Indictionibus* iniretur.

(3) Illa, quæ notavimus ad *annum Sabbathicum*, hic repeti possunt, quia fermè est eadem ratio; nam sicut *annus Sabbathicus* erat annus septimus, ita *Jubilæus* erat annus septies-septimus. Nihilominùs tamen peculiarium rerum figura fuit: notavit enim. I. Homines, qui in Adami esu decoxerant omnia sua bona, & ex paterna hæreditate ejecti erant, *anno Jubilæo*, h. e. per Christi mortem, (quæ incidit in *annum Jubilæum*) restituendos fore paternis bonis. II. Eos habituros tum tempus ἀλαλαγμῶ *jubilationis*, & lætaturos in spiritu. III. Sic tamen ut primo die jejunent, h. e. tristentur. Primis incunabulis N. T. Discipuli non tantùm contristati sunt, cùm Christus sponsus ab ipsis esset ablatus *Matth.* IX. 15. sed & omnis, qui resipiscit, in initio conversionis ad Deum. Quemadmodum *annus Jubilæus* orsus est mense septimo quadragesimi noni anni, ipso die magno expiationis, cùm animas suas jejunio macerarent. IV. *Jubilæum* N. T. indicendum & promulgandum esse sono cornu arietini, h. e. Euangelio Jesu Christi, arietis pro nobis mactati, *Esa.* LIII. 7. quo Euangelio annunciata est captivis libertas. *Esa.* LXI. 1. V. *Jubilæo* magno diei septimi, qui erit Dies Christi & verus gratiæ annus, rursùs libertatem servis Dei annuntiandam esse

σάλπιγξι

cujus ſanguinis beneficio non ſolùm redditus nobis eſt reditus in regnum cœlorum, quod antea peccatis noſtris amiſeramus; (quemadmodum Iſraelitæ rediêrunt ad poſſeſſiones ſuas, quas antea

σάλπιγξι *buccinâ* Angeli 1. *Cor.* XV. 52. ubi liberabuntur ab omni malo, & ſervitute, & labore, & debito, fruentes τῷ πληρώματι τοῦ Θεοῦ *plenitudine Dei.* VI. Nullis opibus poſſe hæreditatem cœleſtem parari, quemadmodum nemo poterat plenum dominium fundi alieni acquirere. VII. Nec poſſe cœlum vendi, ut fit à Papis. VIII. Impios poſſe, naufragio circa fidem facto, ita perdere & contemnere partem in Eccleſia, ut ſi non maturè revertantur & requirant eam, vix ſpes ſit eos unquam recepturos, imò nec futuro die ſupremi *Jubilæi*; pios autem, qui ſunt radicati in Chriſto καὶ ἐκλεκτὸν ἱεράτευμα *ſacerdotium electum* 1 *Pet.* II. 9. nunquam ita abnegare fidem, ut non ſint reverſuri aliquando, quia Deus non permittit, ut parvi pendant omnem fidem δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην, quæ eſt fundamentum veræ Eccleſiæ, ut patet in exemplis Petri & Cranmeri Epiſcopi. Quemadmodum Iſraelita, qui vendidit domum in urbe munita, & non recuperavit anno primo, eam nunquam redimere potuit, excepto Sacerdote, qui *Jubilæo* & aliis annis recipere potuit, cui tamen permiſſum non fuit vendere agrum ſuburbanum, quia is poſſeſſio perpetua Sacerdotibus fuit *Lev.* XXV. 29-34. Habuit præterea *annus Jubilæus* multos alios uſus; notabo paucos. I. *Ethicum*, ne divites omnia prædia ſtuderent multo pretio ad ſe rapere, & egentiorem empturum pretio ſuperare & expungere, quum ſcirent, revomendum eſſe, quod avara faux deglutiverit. II. *Politicum*, ne divitibus omnia prædia ad ſe arripientibus terra minùs culta redderetur, aut homines, abjectâ omni ſpe redeundi in poſſeſſiones paternas ad alios populos excurrerent, & ſic terram nudarent, aut pauci totam regionem tenerent, aliis ad egeſtatem redactis, uti in Italia aliquando factum refert *Cunæus de Rep. Hebr. l.* 1. *c.* 2. & 3.

Landesbibliothek Oldenburg

tea vendiderant) verùm etiam clangor Euangelii, qui adumbratur clangore tubarum, perrupit orbem terrarum. Et sic *Jehova clanxit buccinâ*, uti loquitur *Zacharias cap.* XI. 14. (†)

V. Hæc autem manumissio servorum, & remissio possessionum, facta non est ante decimum diem mensis *Tisri*, quo tempore illa quasi publicata est *tubis* seu *cornibus arietinis*. Novem prioribus diebus hujus mensis feriabantur servi, genioque indulgebant, serta plectentes, in signum propinquæ libertatis.

X 5 CAP.

(†) *Romani Pontifices*, ubivis vel Judæos vel Gentiles æmulantes, instituerunt *Jubilæum*. Et quidem *Bonifacius* VIII. jubilæum centesimo quovis anno celebrandum, diversâ tamen à Judæis ratione, ut *Polyd. Virg. lib.* 8. *cap.* 1. fatetur; Nempe, uti hic putat, quô populum cumprimis Romanum ab inani secularium ludorum celebratione ad verum solenne sacrum reduceret. (Fuerunt autem Ludi seculares in honorem *Apollinis* & *Dianæ* institutiC. quoque anno, clamante præcone; *Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neque visurus est.*) Sed rectius *Vossius* dicit, hoc fecisse *Bonifacium Anno Christi* MCCC. ut revocaret morem Romanum Populo, post multa secula ludorum secularium oblito. Postea *Clemens* VI. reduxit Jubilæum ad annum quemq; L. *Urbanus* verò VI. ad annum XXXIII. prætexens annos ætatis Christi. Tandem *Sixtus* IV. angustiorem terminum fixit, nempe annum XXV. Sic Mundus vult decipi!

CAP. XI.

De Festo Purim & Festo Encæniorum.

I. PUr פור est vocabulum Persicum, notans *sortem*, unde hoc festum nomen habet, vocaturque *Purim*, h. e. *sortes*, κληρωτήρια.

II. Cœpit hoc festum die decimo quarto mensis *Adar*, duravitque ad finem decimi quinti. *Esth.* IX. 21. Institutum fuit à *Mardochai*, in memoriam liberationis Judæorum è manibus *Hamanis*, coram quo singulis diebus, singulis mensibus, *sors* jacta est, ad exstirpationem illorum. Hoc biduo legunt historiam de *Esthere* in Synagoga, & quoties nuncupatur *Hamanis* nomen, pugnis & malleis sæviunt in tabulas & subsellia, ac si infelicis *Hamanis* tempora tunderent. (1) *Hospin. de Fest. fol. 33. ex Antonio Margarita in lib. de cerem. Judæor.*

III. *Fe-*

(1) Quando hic solennis actus peragitur, nempè quando volumen Legis promitur, & totus liber *Estheris* à fronte ad calcem legitur, omnes Judæorum virgines & mulieres & pueri adesse debent, ut jucundo adspectu percussi *Hamanis* pectus reficiant. Fui aliquando in ipsorum Synagoga, cum hoc festum agitarent, ubi vidi quantoperè in miseri *Hamanis* manes debaccharentur. Pueri ligneis & ferreis malleis ita contundunt subsellia, parietem, & terram, ut

III. *Festum initiationis* vocatur in N. T. ἐγκαίνια, quod est ἑορτὴ, καθ' ἣν ἐκαινουργήθη τί *festum, in quo aliquid renovatum. Suid.* Quia illæ res solummodò initiatæ reputabantur, quæ fuerunt separatæ à communi usu, & usui sacro dedicatæ.

IV. Legimus de multis rebus initiatis in V. T. *Tabernaculum*, *Templum*, *Sacerdotes*, *Altaria*, *Vasa*, & *Vestimenta* initiata erant; sed non erat solennitas annua, quæ ipsorum initiationis memoriæ fuerit instituta; propterea ἐγκαίνια *initiatio*, de qua hîc sermo, quum sit solennitas annua, est festum *initiationis altaris*, institutum à *Juda Maccabæo*, ut singulis annis per octo dies à vigesimo quinto die mensis כִּסְלֵו *Kisleu*, qui respondet nostro *Decembri*, celebraretur, 1. *Macc.* IV. 59.

V. De

ut subinde Patrum caput feriant ruinæ. Etiamsi autem ita perdant pulpita, tantùm abest ut inhibeant grandævi Patres, ut multâ salivâ & ostenso dente excipiant, dulcique hoc adspectu animum & barbam mulceant. Mulieres interim & virgines, quantum possunt, capita è fenestellis suis exerunt, ut heroas puellos cernant, & ipsorum magnanimam fortitudinem admirentur. Reliqui pueri interea crepitaculis ingentem strepitum cient. Sed non satis est ita sævire in caput *Hamanis*, mulieres tenues cereas in formam *Hamanis* & filiorum ipsius effingunt, & simul ictu & igne perdunt. Cùm hæc in Synagoga spectarem, quidam Patrum me ita affabatur; *ne mirere lusum filiorum nostrorum, jam habent sua Bacchanalia, quemadmodum vestri pueri faciunt*; nisi quòd plùs Judaïcè proferret hæc. De hoc festo *Purim* plura habes in *Buxtorf. Synag. Jud. c.* 29. & apud *Leonem Mutinensem de Ceremoniis Jud. P.* III, *cap.* 10.

Landesbibliothek Oldenburg

V. De hoc *festo dedicationis* loquitur *Johannes*, qui & præsentiam nostri Salvatoris refert, & tempus designat, quòd fuerit mensis *December*. Ἐγένετο τὰ ἐγκαίνια *facta sunt encænia Hierosolymæ, & hyems erat Joh.* X. 22.

VI. Ratio hujus festi fuit reminiscentia ingentis gratiæ, quam Deus dedit suo populo, redimens ipsos ex tyrannide *Antiochi*, & idololatria, ad quam iste ipsos adegerat, dum idolum *Jovis* in templo posuerat, abolito vero Dei cultu.

VII. Hæc duo festa sunt institutionis humanæ; quibus plura possent addi. Verùm parum aut planè nihil ei, quod refertur de illis in S. Scriptura, addidimus.

MOSES

nibus cultibusque honorata sunt. Tandem *Homines benè meriti*, imò *Crocodili*, *Serpentes*, *Glires*, *Feles*, *Canes*, *Cepæ*, & *Allium* divino honore non carebant.

CAP. II.

De Molocho, Adram-Melecho, Anam-Melecho, Baale, Tabernaculo Molechi, Chiun, & Remphan.

I. DE Idolo *Moloch* legimus in diversis Scripturæ locis 1. *Reg.* XI. 5. 7. 2. *Reg.* XXIII. 10. *Levit.* XVIII. 21. Subinde vocatur *Moloch*, subinde *Molech*, subinde *Milcom*. Non tantùm putatur fuisse *Deus Ammonitarum*, sed & *Moabitarum*. *Lorin. in Act.* VII. *ex Oecumen.* Nomen suum ducit à מָלַךְ *regnavit*. LXX. Interpretibus *Molech* vertitur ἄρχων, βασιλεὺς *Princeps*, *Rex*. Ejusmodi *Regia Idola* erant *Adram-Melech*, & *Anam-Melech*, Dii *Sepharvaïm*, in quorum honorem populus suos filios per ignem traducebat. (*)

II. Pu-

(*) A *Molecho* non fuerunt alii *Adramelech* vel *Adrammelech*, & *Anamelech* vel *Anammelech*, quibus incolæ *Sepharvaïm* filios igne combusserunt. 2. *Reg.* XVII. 31. *Adramelech* dicitur qu. אַדִּיר מֶלֶךְ *Rex magnificus*, *illustris*. A quo vocabulo *Hebr.* venit *Æthra*, seu splendor aëris. *Anamelech* verò dicitur qu. עוֹנֶה מֶלֶךְ *Rex respondens*, scil. consultus, vel etiam עָנָו מֶלֶךְ *Rex mansuetus*.